



1. ad i. Corinth. 1596  
2. ad thessal. 1596  
3. philipp. 1596

EPISTOLAE

DIVI APOSTOLI  
PAULI AD THESSALONICENSES PRIORIS EX-

POSITIO PLANA ET  
perspicua.

AVCTORE

ÆGIDIO HVNNIO,

S. THEOLOGIAE DOCTORE

*& Professore in Academia  
VWittebergensi.*



FRANCOFVRTI AD MOENVM

M. D. XCVI.



CRISTO  
DIVE APOSTO  
MAYN ADT  
LONCENSES P  
ROBIA  
AVLORE  
ACIDIO HVNIO  
S. THEOLOGIC  
C. THEOLOGIC  
MAYN

FRANCISCVS AD



P R A E F A T I O .



**I**N EPISTOLA DIVI  
Pauli ad Thessalonicenses  
priori, sicut in omnibus  
eius Epistolis necessaria ca-  
pita Christianæ religionis,  
ita passim obuia sunt, at-  
tentis lectoribus, vt penè singulæ Epistolæ  
singula sint Christianæ fidei ac doctrinæ  
compendia. Negari verò nequit, pro re na-  
ta, & Ecclesiarum, quibus illæ inscriptæ  
sunt, statu & conditione, Paulum Apосто-  
lum aliquos sibi velut ex professo tractan-  
dos articulos proposuisse: & quidem in di-  
uersis epistolis alios atq; alios. In hac, qua de  
sermo iam nobis est, eminet præ cæteris ar-  
ticulus de resurrectione mortuorum & v-  
niuersali iudicio mundi. Estq; vix vllus alius  
articulus omni humanæ rationi tam ini-  
micus ac velut è diametro contrarius, atq;  
est is, quò carnis resurrectionem in symbo-  
lo confitemur. Rident hoc cœleste dogma  
gentiles; explodunt id Atheniensium exem-  
plo sapientes huius seculi: subsannant Sad-  
ducaei in populo Iudaico: glossis & strophis  
suis peruertunt Doctores falsi, inter quos o-  
lim Hymenæus & Philetus: pro fabula illud  
reputat tota illa reproborum Epicureorum  
) ( 2 & homi-

P R A E F A T I O .

& hominum mente corruptorum factio:  
Quin etiã in piorum animis nonnunquam  
Satanas funestis suis & ignitis telis hunc tam  
salutarẽ articulũ oppugnare fatagit. Quan-  
quam igitur in ipsa sede & ordinaria inter-  
pretatione capitis quarti, non segniter, vt  
arbitror, hæc à me doctrina explicata est:  
tamen cùm aliquid præfationis loco sit  
præmittendum operi: visum est velut *ἐν δὲ*  
*ἐξ ὁδοῦ* commonstrare, quo pacto sublime &  
arduum hoc caput non in Nouo duntaxat  
Testamento fundatum sit (cuius testimo-  
nia magno numero producuntur alibi) sed  
etiam in veteri. Quod sigillatim hac vi-  
ce (prætermiſſis studio Testimonijs scriptu-  
ræ Noui Testamenti) ex scriptura Mosaica  
Propheticaq; probatum reddere aggrediar:  
præsertim quòd non desint, qui reſurrectio-  
nis mortuorum penè nullam aut certè ra-  
ram mentionem fieri in scriptis & prophe-  
tarum, falsò sibi persuasum habent. Quia in  
parte, quantum illi à veritate distent, insti-  
tuta hæc tractatiuncula planum faciet. Vt  
igitur à primo rerum exordio argumentan-  
di initium ducatur, creationis videlicet ar-  
ticulo: testantur Annales Biblici, conditum  
esse hominem primum ad imaginem & si-  
militu-

P R A E F A T I O.

militudinem DEI: Hæc etsi potissimum ful-  
 sit in anima secundum potentias eius prin-  
 cipes, mentem & voluntatem considerata:  
 consequenter tamen & secundario ad cor-  
 pus etiam pertinuisse liquet, quod id quoq;  
 ad immortalẽ vitam erat conditum. Neq;  
 enim vel Adam, vel Eua, vel ex ijs procreati  
 posterì vnquam morituri erant: Si in sta-  
 tu concreatæ iustitiæ ac primæuæ illius in-  
 nocentiæ, per Satanæ fraudem, persistere  
 licuisset. Vnde namq; mors, & quæ hanc in-  
 sequitur, corruptio in sepulchro? Nonne à  
 diuini mandati præuaricatione? iuxta com-  
 minationem Dei: Quacunq; die ederis de  
 fructu arboris scientiæ boni & mali, morte  
 morieris? Rectè igitur hunc in modum ar-  
 guimus: Fuit primus homo totus, anima pa-  
 riter & corpore, ad vitam conditus immor-  
 talem: Ergo ab hoc bono delapsus, ad idem  
 erat reparandus. Quid enim? Num plus A-  
 damum primum perdidisse, quàm secun-  
 dus Adam Iesus Christus restituerit, opina-  
 bimur? Aut, num eò dementiæ quis progre-  
 dietur, vt imaginem illam, ad quam primi-  
 tus efficti sumus, non totam, sed dimidia  
 tantum sui parte per Christum reparandam  
 fuisse existimet? Quàm igitur vero nequa-

## P R A E F A T I O.

quam similis aut cōsentanea esset accurata illa collatio Rom. 5. instituta, quæ non obscure perhibet; Longè plus à Christo esse generi humano acquisitum, quàm Adami lapsu diminutum ademptumq; fuerit. Hoc quia & à mente Pauli Apostoli, & ab omni sensu pietatis abhorret: quid aliud ex hoc argumēti genere statuendum fuerit, quàm in lapsu humano genere DEI imaginem illam plenè perfectèq; fuisse instaurandam, atq; sic corpora quoq; hominum ad vitam è morte quandoq; rursus excitanda. Esto hoc argumentum primum, ex primo statim capite scripturæ Mosaicæ depromptum.

Iam historia lapsus, & promulgata illic de reparatione hominum prima promissio, simul luculenta cōcio est, expectandam esse mortuorū Resurrectionem. Ne autem huius argumenti connexio infirmior appareat, quàm vt tantæ rei confirmandæ adhiberi mereatur: sic velim lector Christianus secum reputet. Vulgata regula est, eaq; verissima: sublata causa tolli & effectum. Causam mortis esse peccatum, & stipendium peccati mortem, comminatio DEI palàm edicit, & effectus violatę legis irrefutabiliter ostendit.



## P R A E F A T I O.

ostendit. Aut ergò Christus causam mortis non plenè sustulit (quod affirmatu impium foret & absurdum) aut si perfectè peccatum abolere debuit; omnino consequitur, aliquando & mortis imperium penitus euacuum iri.

Hæc causa est, quòd Patriarchæ suorum hominum sepulturam honorificè adeo curarunt, non tam vt illorum exuias vltimo cohonestarent humanitatis officio, quàm vt suæ fidei symbolum ederent, paratam esse corporum resurrectionem. Quo sensu & dormire dicuntur passim mortui: quippe ad vitam aliquando euigilaturi. Sic Abraham quàm laborat diligenter ac sollicitè, in comparando peculiari Sepulturæ pro se suisq; loco: Sic filios suos attestatur Iacobus, vt corpus suum non in Aegypto sepeli- ant, sed Patrū monumento inferri curent. Sic Ioseph de ossibus suis mādāt filijs Israēl, vt ea in egressu ex Aegypto secum aspor- tent in terram promissionis. Quod à Mose completum esse legitur Exod. 12. Nimirum ipso facto declararunt sancti illi viri, non se in hac tristi esse sententia, quasi de corpori- bus suis, quæ Spiritus sancti gratiosè inha- bitantis templa fuerant, planè sit actum: sed

P R A E F A T I O .

spem animo concepisse minimè dubiam  
futuræ olim resurrectionis ad vitã beatam.

Porro quotiescunq; traditur in scriptura  
Prophetica, Messiam non tantum mori, sed  
& resurgere debuisse ex mortuis, veluti Psal.  
16. & alibi: toties & nostræ ad vitam æter-  
nam resurrectionis articulus fundatur. Et  
firmam esse connexionem argumenti, quo  
à Christi resurrectione ad nostram astruen-  
dam proceditur: Apostolus Paulus grauissi-  
mus testis est, qui nostrorum corporum vi-  
uificationem huic basi & immoto funda-  
mento resuscitationis Iesu Christi ex mor-  
tuis solidissimè superstructam esse confir-  
mat, 1. Cor. 15. Non prætereunda hîc, sed pri-  
ma quasi acie locanda est visio oblata Mose,  
iuxta rubum & Sermo Domini ad eum edi-  
tus. Inde namq; Saluator mortuorum re-  
surrectionem contra Sadducæos disputans  
potenter astruxit: hoc pacto colligens: Deus  
profitetur se Deum Abrahami, Isaaci, & Ia-  
cobi. DEVS autem non est Deus mortuo-  
rum, sed viuentium. Hinc infert Christus  
rectè ac solidè, patriarchas istos viuere se-  
cundum animam, & aliquando secundum  
corpus etiam esse reuicturos.

Iob in summis angustijs suis nonne hu-  
ius ar-

P R A E F A T I O.

ius articuli consideratione se solatur & erigit? capite libri sui 14. Scio, inquit, quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Innuit hoc ipsum, tametsi concisè magis & aliquantò obscuriùs cap. 14. dicens: Homo cùm mortuus fuerit, non resurget, donec atterantur coeli. Ex quo bona consequentia infertur: Ergo cùm atterentur coeli, resurget homo. Quamuis enim aliàs particula, Donec, aliter etiam capiatur: hïc tamen in suo proprio capi significato, collatio dictorum Iobi comprobatur.

Quid de Dauide, Psalte Israëlis & Propheta regio commemorem? qui non solùm mortem sanctorum preciosam esse coram Domino pronunciat (at qui esset preciosa, si alteram sanctorum hominum partē absq; omni spe resurrectionis æternùm absumeret) sed perspicuis insuper verbis huic articulo testimonium perhibet, hoc insigni & ad viuam consolationem accommodato versu Psal. 33. Dominus custodit omnia ossa iustorum: Vnum ex his non conteretur. At quomodo non conterentur ossa iustorum, si citra spem omnem resurrectionis, in pul-

) ( 5 uerem

P R A E F A T I O.

uerem atque cinerem conuersa, tandem in nouissimo die prorsus in nihilum redigerentur? Irrefragabile igitur est, quod ex hac Dauidis sententia ad stabiliendum institutum nostrum extruitur argumentum.

Venio ad Prophetas cæteros, visurus, ecquid ipsi de hoc doctrinæ cœlestis capite sint testificati. In eorum ordine primus sese offert Esaias, qui locis aliquot ita luculentè meminit diuini huius operis, vt vel ex eo solo caput hoc sufficienter asseri, & illius certitudo in piorū mentibus sanciri queat. Quid enim sibi vult aliud hic Esaiæ sermo, figuratus licèt: (Amouebit Dominus in monte hoc faciem inuolucris, quo inuoluti sunt omnes populi, & operimentum, quod expansum est super omnes gentes) quàm quòd fasciæ sepulchrales quandoq; amouendæ & operimentum terræ, quo corpora defunctorum clauduntur, relegendū sit? Ideò namq; subiungit è vestigio: Præcipitabit Dominus mortem in sempiternum: quam *γνώμην* Prophetæ Diuus Paulus de victoria contra mortem, per resurrectionem nobis exhibenda, palàm interpretatur *1. Cor. 15.* Et rectè, quomodo enim per Christum præcipitata in æternum & absorpta mors verè statueretur

P R A E F A T I O.

tueretur credentibus: si corporibus suis ipsi-  
met æternùm sic absorpti essent, vt nulla eis  
expectanda foret ad vitam resurrectione? Rur-  
sum ad vniuersi populi consolationem ita  
concionatur Esaias: Viuent mortui tui, in-  
terfecti mei resurgent: Euigilate & cantate,  
qui habitatis sub terra: quoniam ros herba-  
rum ros tuum, & terra mortuos eijciet. Vade  
populus meus, intra in cubicula tua, claude  
ostia tua super te, absconde te modicum ad  
momētum, donec transeat indignatio, cap.  
26. Atq; hac de causa loco alio testatur, Iu-  
stos colligi à facie mali, & requiescere in cu-  
bilibus suis, cap. 56.

Ezechieli Prophetæ per illustrem visio-  
nem ostenditur, quomodo potens sit Do-  
minus cœlesti virtute sua, mortuos, quorum  
cutis & caro pridem in terræ puluerem con-  
uersa sunt, & ossa penitus exaruerunt, ad vi-  
tam reuocare.

Irrefragabile porrò est, omniq; exceptio-  
ne maius testimonium, quo Gabriel Ange-  
lus Prophetæ Danieli de vniuersali mortuo-  
rum omnium resuscitatione concionatus  
hisce verbis: Multi, qui dormiunt in terræ  
pulvere, euigilabunt: alij in vitam æternam,  
alij ad perpetuum opprobrium.

Est

P R A E F A T I O.

Est verò & Oseas, in hoc argumenti genere insignis duobus præcipuè locis prophetiæ suæ. Quorum prior nostram cum Christi resurrectione viuificationem connexam esse demonstrat: puta cū ait: Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. Posteriore autē Messias ipse introducit hoc memorabili sermone, certam nobis spem faciens liberationis à morte: de manu mortis liberabo eos: de morte redimam eos. Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne. Quod promissum in nouissimo demum die plenè completum iri Paulus edocet, quando ex hoc Oseæ loco paratam nobis ostendit in resurrectione carnis plenam cōsummatamque aduersus mortem victoriam.

Peruulgata igitur fuit & lōgè notissima in populo etiā veteris Testamenti doctrina de hoc articulo. Quod & historia septem fratrum, qui pro Domini lege sub Antiocho Rege celebri martyrio coronati sunt. Hi enim fiducia futuræ resurrectionis animati excelso & inuicto animo exquisita supplicia sustinuerunt, & per Dei gratiam felicissimè superarunt, dicentes impio Regi: Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. Item

P R A E F A T I O.

Item, è coelo ista membra (linguam & manus) possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. Et vox quarti: Potius est ab hominibus morti datos spera expectare à Deo, iterum ab ipso resuscitandos.

His deniq; memoratis scripturæ Mosaicæ & Propheticæ testimonijs, & hinc extractis argumentis, exempla subijcimus, in quibus articuli huiusce veritatem liquidò comprobata cernimus.

Nam & à Prophetis in veteri populo mortuos esse resuscitados, historia Biblica testis est. Inter Eliæ miracula non postremum est, quòd Sareptanæ viduæ filium ex morte ad vitam reuocasse legitur 1. Reg. 19. Consimile de Elisæo Propheta narratur 2. Reg. 4. & 13. quo pacto Sunamitidis filium excitavit. Imò quomodo vel ad contactum ossium Elisæi, pridem demortui, quidam nuper defunctus resurrexerit. Hæc non fallacia erant præludia & testimonia vniuersalis mortuorum Resuscitationis.

Quid, quòd Deus transferendo Enochum & Eliam anima & corpore in vitam æternam, locupletissimè de cæterorum defunctorum sanctorum resurrectione testatur?

Num

P R A E F A T I O.

Num enim ita prodigiosè absurdi erimus, ut hos duos quidem corporibus etiam suis in æternum victuros opinemur, reliquos sanctos haud item? Ergone Christus soli Enocho & Eliæ impetrauit, ut & anima & corpore fruerentur immortalitatis cœlesti beneficio: reliquis non impetrauit? Quæ hæc esset meriti Christi inæqualitas: Aequalem verò gratiam & beatitudinē quia cunctis suis acquisiuit fidelibus: immotum perstat argumentum hoc: Enoch & Elias corporibus etiam suis perfruuntur cœlesti gaudio: Ergo & reliqui sancti suis corporibus idem cum gaudij tum immortalitatis beneficium percipient, & proinde corpora illorum è morte ad vitam resuscitentur, necesse est.

Et hæc quidem ex scriptura veteris Testamenti dicta hinc delibasse potius, quam accuratè examinasse sufficiat. Noui namque Testamenti volumen talium testimoniorum ita plenum est, ut ad describendum duntaxat multæ paginæ complendæ forent.

A Eternus D E V S, qui ex mortuis reduxit Pastorem illum ouium magnum, Iesum Christum, per sanguinem æterni Testamenti: is nostra etiam corpora quandoq; viuificet,



P R A E F A T I O.

cer, vt sacrosanctum nomen eius in omni  
æternitate cum omnibus electis angelis, &  
beatis hominibus collaudemus ac ce-  
lebremus in perennem æterni-  
tatem, Amen.

IN EPI-



nus,  
suis  
quos  
li E-  
cor-  
i be-  
hæc  
lem  
suis  
t ar-  
ibus  
ergo  
cum  
per-  
orte  
  
Te-  
uam  
que  
nio-  
lum  
fo-  
  
uxit  
sum  
nen-  
uifi-  
cet,

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



I  
IN EPISTOLAM  
PAULI AD THES-  
SALONICENSES  
PRIOREM.

*DE AVTHORE EPISTOLAE.*



E autore epistolæ hu-  
ius ad Thessalonicen-  
ses prioris nihil attinet  
operosè commentari,  
cùm iam antè in con-  
fesso sit, authorem eius  
supremum esse DEVM : scriptorem por-  
rò esse Paulum, celebrem illum Apосто-  
lum & doctorem gentium in fide & ve-  
ritate, 1. Tim. 2. Testatur id nomen præ-  
fixum , loquitur ipsum genus dicendi,  
quod Paulinam phrasin per omnia ma-  
nifestè redolet; ostendit ipsa rerum, quæ  
in hac epistola tractantur, dignitas atq;  
maiestas, idemque perhibet vnanimis  
vox & perpetuus consensus Ecclesiæ,  
cùm primitiua, tum omnium ætatum  
& temporum, quæ epistolam hanc non  
ab alio scriptore, quàm Paulo Apostolo  
profectam esse declarat.

A Occa-

• DE AVTORE ET OCCASIONE

Occasio scribendę huius epistolę fuit hæc, quòd Paulus sua apud Thessalonicenses prædicatione quædam sparferat semina doctriņę Euāgelicę. Nam vt Act. 17. legitur, cū venisset Paulus Thessalonicā, inuenit ibi synagogā Iudæorum, quam iuxta cōsuetudinē suam ingressus per tria Sabbata differebat corā Iudæis simul & ciuib<sup>9</sup> Thessalonicē sib<sup>9</sup>, demōstrās ex scripturis Prophetis, oportuisse Christum pati & resurgere à mortuis, & hūc esse Iesum, quē ipse annūciaret. His cōcionib<sup>9</sup>, quibet paucis, Deo laboribus Apostoli fauēte ac cœlitus benedicēte, cōuersi sunt ad fidem nequaquā pauci; sed, vt historia perhibet, religiosorū grecorū multitudo magna mulierēsq; primarię itidem nō pauce. Hūc successum Euāgelij apud Thessalonicēses inuidēs Paulo Satanās, concitauit Iudęos incredulos, qui ascitis circūforaneis viris malis, turbaq; coacta accusarūt Iasonē sanctorū Apostolorū hospitē, vnā cū Paulo & Sila, Act. 16. & cū pertraxissent illos ad principes ciuitatis, exclamārunt: Hi, q̄ terrarū orbem cōturbant, huc quoq; venerūt, quos clanculum excepit Iason, & hī

& hi omnes cōtra decreta Cæsaris faciunt, regē alium dicentes esse Iesum. His clamoribus vulgi cōcitatatis effectū est, vt fratres Paulum & Silam præsentiſſimo periculo subtractos de nocte Berrhœā dimitterent. Vbi similiter erāt ex cœtu Theſſalonicēſium, quidā illustri genere nati, qui sermonē receperāt cum omnī animi prōptitudine, scrutātes quotidie scripturas, an hæc, q̄ dicebātur ab Apostolis, ita se haberēt. Ibiq; similiter multū legūtur credidisse ex eis, mulieres simul honestę, & viri nō pauci. His ergo iactis fundamētis Christianismi Paul⁹ ob cōcitatā turbā inde secessit & Athenas peruenit. Reliquerat autē Theſſalonicę Timotheum, qui op⁹ Domini vrgeret. Hūc euocatū Athenas, quērit de statu Ecclesię recēs plantatę, quē vbi cognoscit esse saluū & integrū, & perſtare Theſſalonicēſes memorabili cōstantię exēplo aduersus omnē impetum persecutionū in fide incōcuſſos, incredibili lētitia perfusus, hāc ad illos scribendā esse duxit epistolam, qua in signē illorum cōstantiam singulari genere laudationis extollit, & vt ita pergant, diligenter exhortatur.

## ARGVMENTVM EPISTOLAE.

**P**RÆMISSA salutatione consueta, vnâ cum solenni voto & gratiarum actione Paulus Theſſalonicenſium in Chriſtianismo profectum, maximè verò imperterritam illorum in perſecutionibus & cruce conſtantiam ſummis laudibus extollit. Mox hiftoriam fundatæ apud illos Eccleſiæ paucis ad animum eis reuocat, aſperſis identidem laudibus, quas ipſorum merebatur immota fides & in aduerſis infracta perſeuerantia. Dehinc cauſam explicat, ob quam ad illos miſerit Timotheum, ſuumque inexplicabile gaudium effundit, conceptum ex relatione Timothei de illorum patientia ſub cruce. Spem quoque illis facit de ſuo aduentu, addito ſimul voto de cõfirmatione & augmento operis boni apud ipſos diuinitus inchoati. His expeditis commonefactiones ſubiicit, de fugienda immunditia, ſcortatione, & fraudulenta oppreſſione proximi, ſectanda viciffim charitate, honeſtâq; erga extraneos quoque conuerſatione. Doctrinam in ſuper conſolationis pleniffimam de ſtatu piè defunctorum ſubnectit, eaque occasione de aduentu Chriſti glorioſo ad iudicium luculenter cõcionatur, & ad dignam præparationem exuſcitatur: varijsq; præceptis ad confirmandam pietatem pertinentibus ſubiunctis, tandem voto & familiaribus ſalutationibus epistolam claudit.

CAPVT

EPIST. I. AD THES. CAP. I. §  
CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTVM.



OST inscriptionem epistole  
D. Paulus suo & collegarum,  
Syluani & Timothei nomi-  
ne, gratias agit DEO pro  
admiranda cōstantia Thessalonicensi-  
um in fide, spe, charitate, & in aduersis  
patientia, quòd sermonē Euāgelicæ in-  
stitutionis amplexi semel in eo cōstan-  
tissimè persistunt, & ad eandem perse-  
uerantiam suo exemplo inuitant reli-  
quas per Macedoniam & Achaïam Ec-  
clesias, quotquot de admirabili conuer-  
sione Thessalonicensium per famā de  
ipsis longè lateq; sparsam sunt edoctæ.

DISPOSITIO.

Partes capituli sunt tres: Prima cōstat  
epigrapha, inscriptione & salutatione.  
Secunda, gratiarum actionē complecti-  
tur pro eximio illorum profectu & per-  
seuerantia in cunctis fidei & pietatis  
Christianæ partibus. Tertia parte Thef-  
salonicenses sistit Paulus exemplum re-  
liquis florentissimis ecclesijs Macedo-  
nicis & Achaicis.

A 3 PARS

## PARS PRIMA.

PAVLVS & Syluanus) *In epigrapha seu subscriptione Paulus adiungit sibi Syluanum & Timotheum, utrumq; Thessalonicensibus longè notissimū et probatissimum. Syluanus existimatur alio nomine per abbreviationem dictus Silas, quem sibi Paulus post suam à Barnaba discessionē asciuit collegam & testem, imò cooperarium rerum apud Thessalonicenses & Berrhoenses rectè feliciterq; gestarū. Huius Silae siue Syluani multa fit mentio Act. 15. 16. 17. et 18. capitibus: Similiter 2. Cor. 1. quem etiam D. Petrus fratrem fidelem nominat, 1. Pet. 5. Proinde et Paulus non dubitat illum in societate subscriptionis utriusq; epistolæ ad Thessalonicenses admittere. Timotheus verò per ecclesias orientis longè celeberrimus erat, ad quem Paulus binas scripsit epistolas, quæ etiamnum extant. Vult autem hos sibi esse socios in subscribenda hac epistola, ut ex publica testificatione cōsensu tantorum ecclesiæ luminum epistola ipsa maius sortiretur pōaus & auctoritatem. Nominantur autem hi duo in epigrapha, non ut authores, sed ut testes & approbatores eorum, quæ scribebantur ab Apostolo Paulo. Atq; hac est causa, quòd penè per unuer-*

A. A. J.



Uniuersam Epistolam Paulus numero plurali  
 usus legitur: nihilominus ut de scriptore  
 principali constaret, suum nomen expresse po-  
 nit capite 2. eademq; de causa aliquoties nu-  
 mero singulari loquitur, maximè ultimus ca-  
 pitibus 4. & 5.

Ecclesiæ Thessalonicensium) Inscrì-  
 ptio est, quæ declarat, ad quam ecclesiam parti-  
 cularem hæc epistola data & missa sit. Fuit au-  
 tem Thessalonica Macedonia metropolis, ob de-  
 uictos ibi à Philippo Macedonum rege Thessa-  
 los sic cognominata. Porro Christianos Thessa-  
 lonica agentes, qui nomen & fidem Domino  
 IESU dederant, appellant Ecclesiam; qua vo-  
 ce, designante congregationem, notatur cætus  
 in fidei unitate collectus.

In DEO Patre) Hac periphrasi secerni-  
 tur iste fidelium Thessalonicensium cætus ab  
 ecclesia malignantiū, quòd hæc fidelium cõgre-  
 gatio dicitur ecclesia in DEO Patre & Do-  
 mino Iesu Christo, hoc est, cætus à DEO &  
 Christo in peculiū selectus, & ad communio-  
 nem Euangelij vocatus & perductus.

Gratia vobis, &c.) Salutatio est: ubi gra-  
 tia gratuitum DEI fauorem significat: pax  
 verò principaliter illam conscientie tranquil-  
 litatem in DEI paterna bonitate ac dulcedine

Δ Δ iucun-

8      EPIST. I. AD THESSAL.

*iucundissimo sensu requiescentem: Secundario autem cōplectitur phrasi hebræa etiam reliqua bona, corporalia simul & spiritualia, temporalia & aterna: Hac porro precatur Thessalonicensibus à DEO Patre, tanquam omnis boni fonte & authore, quem appellat patrem nostrum, non tantum respectu creationis (Malach. 1.) sed maxime omnium propter illam gratiam υιοθεσίας, qua nos sibi in filios per Christum Iesum adoptavit.*

*Et Domino IESU CHRISTO) Per hunc quippe exorta nobis est illa DEI gratia salutifera, per hunc partum & acquisitum beneficium adoptionis in filios.*

LOCI COMMUNES.

*I. Humilitatis exemplum memorabile est, quod tam sublimis Apostolus in cōsortium subscriptionis epistolarum suarum admittit Sylvanum & Timotheum, excellentibus sanè donis præditos, sed tanto Apostolo nequaquã pares. Quod dicitur alijs Rom. 12. præscripsit, monens, ut honore alius alium præueniat: Et ad Phil. 2. per humilitatem animi alium quisq; se præstantiorem existimet: id laudabili suo exemplo velut ad viuum expressit. In hoc speculum humilitatis intueatur & alij præstantiores ecclesiæ*

ecclesia doctores, & discant non despicere collegas donis inferiores, sed ex humilitate non simulata venerari eos, & pro re nata operas simul & honorem cum eis partiri.

II. Quod Syluanus & Timotheus suum testificantur cum Apostolo Paulo consensum, admonemur, piam concordiam & harmonicum quasi concentum & consensum doctorum modis omnibus esse sartum tectum custodiendum in Ecclesia, ut in Christo unum sint, qui unum Christum profitentur, idem per omnia sentientes, Phil. 2. & 1. Pet. 3. Econuerso vitari iubet Spiritus sanctus eos, qui suauissimam illam docentium harmoniam turbant, quemadmodum scriptum est Rom. 16. Obsecro vos fratres, ut consideretis eos, qui dissidia & offendicula contra doctrinam, quam vos didicistis, gignunt, & declinetis ab illis. Et rursum Gal. 5 Vtinam & excendantur, qui turbant vos.

III. Quod celebris Ecclesia Thessalonicensium post aliquot secula tãto perẽ degenerauit à pristina puritate sua, ut hodie sit Satanae Synagoga, Mahumeticae blasphemiae sedes, & immane castellum eorum, qui sub vexillo Mahumetis aduersus Iesum Nazarenum militãt; admonemur, Deum verbo suo ad loci successio-

A S nem

nem minimè esse alligatum, quin pro diuino suo beneplacito, iustog<sup>3</sup> consilio, ubi homines verbum eius fastidire cœperint, immittere possit efficaciam illusionis, ut mendacijs credant, 2. Theß. 2. & auferre regnum suum, ac dare genti alteri facienti fructum eius; quemadmodum Saluator & Apostoli eius, Paulus & Barnabas, iudæis contradicentibus & blasphema loquentibus edicunt Matth. 21. Act. 13.

IV. De fausta precatione piorum siue salutatione, quam fide susceptam discimus nequaquam esse irritam, siquidem pax, quam sibi inuicem precantur & reprecantur p<sup>ij</sup>, requiescit super eos, qui digni sunt pace, Matth. 10. Ideog<sup>3</sup> Paulus tam diligenter Ecclesias salutat, & à DEO fausta illis precatur, utq<sup>3</sup> Christiani sese mutuò salutent osculo sancto, sub finem Epistolarum suarum exhortari solet.

V. Summa esse beneficia, quæ alij alijs optare possunt, gratiam nimirum & pacem DEI, quæ superat omnem intellectum, Phil. 4. Quod enim sub sole potest esse bonum vel maius, vel augustius, vel exoptatius & suauius, quàm si quis in corde suo sentit gratiam illam DEI salutiferam, & gustat dulcedinem diuinæ bonitatis, Psal. 34. & 1. Petr. 2. & indubi-

tante

tanter secum statuit, habere se, per & propter  
mediatorem Christum, propitium DEVM.  
Etenim si hic pro nobis, quis contra nos, Rom.  
8. Psal. 73.

VI. Quod Apostolus nominat Deum pa-  
trem nostrum, argumentum est inestimabilis  
dignitatis & gloriae fidelium, quod sunt & di-  
cuntur filij DEI, & DEVM ipsum filiali planè  
fiducia suam audent invocare & inclamare  
patrem, Rom. 8. & Gal. 4. Quemadmodum  
hanc incredibilem dignitatem piorum pro-  
fundius secum reputans Iohannes, in hac ver-  
ba plena admirationis erumpit: Videte, qua-  
lem charitatem dederit nobis pater ut filij  
Dei nominemur. Propter hoc mundus non no-  
uit vos, quia non nouit eum: Charissimi, nunc  
filij Dei sumus, & nondum apparuit, id, quod  
futuri sumus: Scimus autem, si apparuerit,  
quod similes ei erimus, quoniam videbimus  
eum, sicuti est, 1. Iohan. 3. Hac autem dignitas  
non indiscretè competit vniuersis hominibus,  
sed solis credentibus, teste Iohāne cap. 1. Quot-  
quot receperunt eum, dedit eis potestatem  
filios Dei fieri, nimirum his, qui cre-  
didissent in nomen i-  
psius.

PARS

PARS SECUNDA  
CAPITIS I.

**E**XORDIUM eucharisticum est, seu gratiarum actione constans, plenum gaudio Spiritus S. quo exultat, Deoq; pia vota soluit Paulus, pro insigni profectu Thessalonicensium in verbo Evangelij. Et celebrat Apostolus sine omni adulatione verissimas illorum laudes, quas singulari sua pietate memorabiliq; constantia merebantur. Hocq; facit, non tam ut Oratorum in modum caperet illorum benevolentiam, quam ut stimulos admoueat, quibus incitati in cursu fidei pietatisq; strenue pergant. Hoc omne vero, quia non ab humanis illorum viribus, sed ex solius DEI gratuito munere proficiscitur, ideo Paulus ad Deum authorem istud referens in hanc letam gratiarum actionem erumpit:

Gratias agimus DEO semper.) Plurali numero vitur ob adiunctos sibi subscriptionis socios, Sylvanum & Timotheum. Horum igitur, ut & suo nomine testificatur, se gratias agere DEO, idq; non semel atque iterum, sed semper, & quidem de omnibus fidelibus in Ecclesia Thessalonicensium.

Mentionem vestri facientes.) Porro  
sub-

subindicant Paulus & collega, quando ipsi cor suum effundant coram Deo, & aeternam eius maiestatem pro successu Euangelij precentur, tum se precibus istis simul adiungere ardentissimam gratiarum actionem pro cunctis quidem Ecclesiis orbis, sigillatim verò etiam pro Thessalonicensibus.

Propter opus fidei.) Nunc ordine recenset, quibus de rebus DEO vota laudis soluant pro Thessalonicensibus, & quæ tandem sint illa, quæ tantopere ipsos coram DEO & hominibus commendent. Primò inquit, propter opus fidei: Notatur Thessalonicensium ad fidem Christianam conuersio, & in ea fide profectus ac perseuerantia. Secundò, propter laborem charitatis. Laboris voce extollit & amplificat illorum charitatem, non obscure declarans, eos nullo labore defagitari, quin alter alteri per charitatis opera impensè deseruiat. Tertium porrò est, spes inuicta, qua defixos habeant oculos mentis ad promissam retributionem in cælis. Nominat autem spem Domini nostri IESV Christi, cum ratione fundamenti, quòd in Christo fundata ea sit, tum etiam obiecti ratione, quòd est Christus olim manifestandus in gloria, quando re ipsa prestabit, quòd in hoc seculo sub spe expectant credentes.

*identes. Caterum addit, coram Deo & patre vestro: docens non tantum, quod spes illorum Deo manifesta sit, sed etiam, quod in illa spe coram ipsius conspectu ambulent, & stables, fundatiq; in ea permaneant.*

*Scientes fratres.) Pertinent & hac ad benevolentia conciliationem, quandoquidem Paulus cum Symmystis indicat, quomodo ex speciminibus haetenus editis indubiam spem de ipsis conceperint, fore ut in illo cursu pietatis inoffenso pede progrediantur & ad metam usq; decurrant.*

*Nominat autem illos fratres ob communionem fidei: & quidem dilectos à Deo. Dilectos verò non illa duntaxat generali dilectione Dei, qua toti mundo Servatorem misit filium, sed hac planè speciali, qua filiorum Dei unice propria & peculiaris est. Assueverant igitur Paulus & collega perhibent, constare sibi de electione illorum, id est, nihil se dubitare, quin sint ex electorum catu atq; numero.*

*Vnde verò sciunt hoc? Quoniam, inquit, Euangelium nostrum fuit erga vos non per sermonem solum, verum etiam per virtutem & per Spiritum sanctum, hoc est, ex hac nota statuimus de Electione vestri ad salutem, quia predicatio Euangelij fructifica-*



uit in vobis, fuitq; sita non in sermone solum  
 seu inani prædicatione, sed in virtute Spiritus  
 S. qui suam in vobis saluificam vim potenter  
 exeruit, illuminans vos, conuertens, regene-  
 rans, renouans & in fide consolidans.

Quemadmodum nostis, quales.) De  
 studio suo pauca attexit Apostolus, quàm enixè  
 laborauerint, vt Thessalonicenses CHRIS-  
 T O lucrifacerent, quasi dicat, nouistis,  
 quàm sanctè & honestè vobis conuixerimus,  
 quàm sedulo & diligenter fecerimus officium  
 nostrum, idq; vestri causa, vt abiectis errori-  
 bus & idolomania gentium perueniretis ad  
 veritatem cælestem cultumq; veri DEI.  
 Atque hoc, quod breuiter hîc attingit, de  
 sua diligentia adhibita in illorum conuersio-  
 ne, Paulus prolixè persequetur capite secun-  
 do.

### LOCI COMMVNES.

I. Monet exemplum Apostoli, Deo pro cur-  
 etis quidem beneficijs, maximè verò pro cur-  
 su Euangelij & hominum conuersione esse gra-  
 tias agendas. Facit hoc Paulus in exordijs o-  
 mniũ suarũ epistolarum. Facit idem Christus  
 Matth. 11, idẽ angeli, qui vel de vnus hominis  
 conuersione plus letatur, quàm de nonaginta  
 nouens

*nouem iustis, qui pœnitentia non indigent,  
Luc. 15.*

II. *Discimus, esse quidem Christianos omnes ad mutuas pro se inuicem preces fundendas obstrictos, ut Iacobus 5. cap. docet, & Christus in ipsa precationis Dominicæ formula sancit: Maxime tamen Ecclesiarum doctores & pastores nunquam non in suis precibus mentionem facere & orare debere, ut pro particularibus Ecclesiis, quibus singuli præfæcti sunt, sic vniuersim pro tota militante Ecclesia catholica per orbem terrarum dispersa. Hac de re scribit Syr. cap. 39. quomodo singuli doctores Ecclesiarum in matutinis suis precibus pro populo orare debeant.*

III. *Idem admonentur Apostoli exemplo, ut Ecclesias seu auditores suos quasi in corde suo gestent coram Domino & indefinenter illorum sint memores. Quemadmodum summus sacerdos memoriam filiorum Israël portabat in pectorali coram Domino, Exod. 28. Consimilem in modum scribit Paulus Phil. 1. quòd habeat Philippenses suos in corde & in vinculis suis, & quòd desideret illos in visceribus Iesu Christi. Nosse enim debent ministri Ecclesiarum, se esse pastores, quibus commissa sit cura gregis, per Christi sanguinẽ redempti,*  
Act.

Actor. 20. & quod reddituri aliquando rationem administrati officij principi pastorum, Iesu Christo, i. Pet. 5.

IV. Demus operam, ut fides nostra non nitatur inani gloriatione, sed ut sit vera, solida, operosa, per charitatem efficax, Gal. 5. & ad fructus iustitiae proferendos valida, Phil. 1. ideò namq; Paulus non fidem simpliciter, sed opus fidei appellat, ut doceat, esse debere illam cum opere coniunctam. Eam autem fidem, quae in externa duntaxat professione vertitur, neq; fructus spiritus aut iustitiae profert, ostendit Iacobus, non esse viuam, sed mortuam fidem, qualem & demones habeant, sed contremiscant, Iacob. 2.

V. Monemur porro, ut & charitas nostra sit laboriosa: hac enim causa est, cur Apostolus non simpliciter charitatem, sed laborem charitatis in suis Thessalonicensibus commendat. Etenim vera charitas non defatigatur, sed omnia suffert, omnia sustinet, omnibus studet benefacere, i. Corinth. 13. Atque hoc est, quod Paulus Gal. 6. praecipit, ut benefaciendo alijs non defatigemur. Quin et Iohannes hortatur, ut diligamus non verbo atq; lingua, sed opere & veritate, i. Ioh. 3. Sic enim erit, ut Apostolus Paulus requirit, charitas nostra non simulata, Rom. 12.

B

VI. Locutus

VI. Locus est de perseverantia in spe  
 CHRISTI, quam non minus atque ca-  
 teras virtutes in Thessalonicensibus com-  
 mendat. Spe autem nobis est opus, quod pro-  
 missa DEI bona nondum appareant, Roman.  
 8. sed in Christo sint abscondita, reuelanda  
 suo tempore, quando & ipse manifestabitur  
 in gloria, Coloss. 3. Porro maximopere etiam  
 nobis est opus spei huius perseverantia, ne con-  
 ceptam illam spem abijciamus, Hebr. 10. pro-  
 pter tentationes Satanae & carnis, variaque im-  
 pedimenta, quibus conatur ille malignus spem  
 conceptam excutere & certitudinem promif-  
 sorum bonorum in animis nostris conuellere.  
 Contra hac obstacula respiciendum est ad ver-  
 bum, quo confirmati spem alamus non vacil-  
 lantem, Heb. 10. eamque teneamus velut ancho-  
 ram anima cum tutam, tum firmam, Hebr. 6.  
 scientes, hanc spem non confundere aut pude-  
 facere, Rom. 5. Psal. 25. Syr. 2.

VII. Ex professo resoluit Apostolus vul-  
 gatam questionem, unde cognosci queat, esse  
 aliquem in numero electorum seu predestina-  
 torum ad vitam aeternam. Non vero sic for-  
 mat responsum suum, ut dicat: Scitis vos e-  
 lectos esse ideò, quia homines estis: sed sic: Sci-  
 tis electionem vestram, fratres, quia Euan-  
 gelium

gelium nostrum fuit erga vos non per sermo-  
nem solum, sed per virtutem & Spiritum san-  
ctum. Aeterna igitur electio seu praedestinatio  
DEI ad salutem non simul ad bonos & ad ma-  
los pertinet, sed tantum ad fideles Dei filios.  
Quandoquidem DEVS in aeterno illo prae-  
destinationis consilio decreuit, quod praeter eos,  
qui filium eius IESVM Christum agnoscunt,  
& in eum verè credunt, neminem saluum fa-  
cere velit. Proinde liber Cōcordia disertè pro-  
nunciat, eos, qui secundum propositum ordinati  
sunt ad capiendam hereditatem, audire Euan-  
gelium, credere in Christum, invocare Deum,  
eius gratias agere, sanctificari in charitate,  
perseuerare in spe, patientia & consolatio-  
ne sub cruce, tandemque aeternam salutem con-  
sequi. Eos vero, qui verbum DEI conte-  
munt, repellunt, execrantur & persequun-  
tur, vel qui auditu verbo corda sua obfirmant,  
spiritui S. resistunt, in peccatis absque poenitentia  
perseuerant, neque in Christum verè credunt,  
nequaquam in electorum numero esse haben-  
dos. Qua de re, quia laculenter & nervosè dis-  
serit Cōcordia liber, & articulum hunc ex im-  
motis scripturae fundamentis pertractat, me-  
rito studiosa iuuetus eò remittitur, ut inde su-  
um formans iudiciū sibi à Calvinistarum blas-  
phemo

phemo dogmate, nec non alijs opinionibus falsis & ἑτεροδοξία καλίας cauere discat.

VIII. De efficacia prædicati verbi Euangelij, quod adiunctum habet Spiritum S. cuius ministeriū est doctrina Euāgelicæ prædicatio, 2. Cor. 3. est q̄ potentia Dei ad salutē omni credenti, Rom. 1. est odor vitæ ad vitam, 2. Cor. 2. Qualia testimonia passim occurrunt plurima, Esa. 55. Iohan. 17. Act. 10. Rom. 1. & 10. 1. Cor. 1. 2. 3. 2. Corinth. 2. Ephes. 1. Coloss. 1. 1. Thes. 2. 1. Tim. 4.

IX. Danda est opera, ut diligenti meditatione verbi diuini cōparemus nobis illam ὁληγοροειάν & certitudinem, quam prædicat Apostolus, atq; illud ἀσφαλές, cuius meminit epistola ad Phil. cap. 3. Bonum quippè est stabiliri cor, Heb. 13. ne doctrinis varijs & peregrinis circumferatur, neue agitetur omni vento doctrinæ, Eph. 4. De cuiusmodi hominib⁹ scribit Paulus, quòd semper discant, & nunquam ad agnitionem veritatis perueniant, 2. Tim. 3. sed ut in fide fundati aduersus quasuis tentationes cōsistere valeamus, assecuti nimirum, quæ sit longitudo, latitudo, altitudo & profunditas cognitionis Christi, Eph. 3. cū primis autem, ut principalem illam promissionem de gratia DE I & vita aeterna in Christo I E SV possi-

possidenda ob signatam habeamus in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui est pignus & arrha salutis & hereditatis nostrae, 2. Cor. 1. & Eph. 1.

PARS TERTIA  
CAPITIS I.

ET vos.) Ostendit Paulus, exemplum patientiae, quam in Apostolis Christi conspexerint Thessalonicenses, non fuisse apud eos infrugiferum. Inde namque factum esse, ut & Thessalonicenses euaderent imitatores illorum, imò ipsius Christi tāquam exempli exemplorum omnium. Est igitur sensus verborum hic; Quemadmodum Christus & Apostoli eius nullas non aduersitates, contumelias & persecutiones mundi perpepsi sunt: ita & vos recepistis sermonem cum afflictione multa, ut facile appareret, vos non ullius terreni commodi aut emolumentis causa, sed sincero studio sermonem illum, ut doctrinam caelitus patefactam esse amplexos. Quamuis igitur non sine afflictione & pressura potuit à vobis recipi verbum Euangelij, tamen è media caligine tribulationum emicuit grata lux spiritualis gaudij & letitiae per Spiritum Sanctum in cordibus vestris excitata, quae densam il-

lam nebulam aduersitatum nullo negotio discuteret, ne succumbentes ijs, resiliiretis à veritate cœlesti.

Adcò, vt fueritis exemplo.) Hac laudabili perseuerantia præluxistis & cen facem quandam prætulistis salutari exemplo cunctis per Achaiam & Macedoniam Ecclesiis.

A vobis enim pertonuit, &c.) Rationem exponit, ob quam Thessalonicenses reliquarum in Macedonia & Achaia Ecclesiarum exemplum factos esse scribat: Dicit enim, à vobis, tanquam primitijs illarum prouinciarum in Euangelio, pertonuit sermo Domini, vt tanquam validissimum tonitru ex vestra vrbe ad ceteras Græciæ oras longè lateq; percrebesceret.

Verùm etiam in loco omni.) Non ad vicinas duntaxat Græciæ regiones, sed ad exteras quoq; gentes & nationes dimanasse scribit famam fidei Thessalonicensium, quæ sit in DEVM: vbi fidei voce nõ notatiam duntaxat doctrinæ Euangelicæ, sed simul fiduciam designat, quod periphrasis (in Deum) non obscure declarat. Hanc illorũ fidem sic inclaruisse memorat, vt opus non sit loqui quicquam aut vltiorem eius laudationem instituere.

Siquidem ipsi de.) Cur vltiore laudatione



tionem opus non sit, ostendit Apostolus, quia ipsimet (populi videlicet à Thessalonica longissimè remoti) per famam publicam edocti annuncient, prædicent & celebrent, qualem ingressum habuerimus ad vos, quanto studio, promptitudine & alacritate nos exceperitis, & quomodo ad prædicationem Euangelij de CHRISTO conuersi fueritis à simulachris commentitiorum Deorum, ad DEVM patrem liberatoris nostri IESV CHRISTI, ut porro non idolis gentium seruiretis, nimirum simulachris mutis illis, cecis, surdis, mortuis, nullaq; diuina maiestate præditis: sed DEO viuenti & veraci, cuius essentia nihil aliud est, quàm vita ipsa, & rebus quoq; conditis vitam mortumq; largitur, Act. 17. ideoq; verax Deus est, non, ut illi, fallax: Atq; his verbis notatur finis conuersionis illorum: nunc fructus exponitur.

Et expectaretis filium, &c.) Latissimus fructus salutaris conuersionis ad Deum, qui apud Thessalonicenses effloruit, est hic, quòd cum gaudio expectant aduentum Christi, filij DEI, qui è coelis veniet, visibiliter descendurus, sicut visibiliter ire in caelos conspectus est, Act. 1.

B 4 Quem

Quem excitauit à mortuis.) *Hac ad descriptionem siue notationem personæ CHRISTI pertinent, quis nimirum ille sit filius DEI, nempe IESVS, à Iudæis quidem crucifixus, à DEO autem tertia die resuscitatus.*

Qui liberat nos.) *Notatio officij est, nec non summi, quod in nos confert, beneficij, videlicet, liberare nos homines à damnatione ventura, quam Apostolus per metalepsin, iram nominat: Siquidem eterna damnatio effectus quidam est iustissima ira DEI aduersus eos, qui Euangelio ipsius non obedierunt.*

### LOCI COMMVNES,

I. *Ministros Ecclesiarum ita se gerere debere inter auditores suos, ut ad illorum testimonia tuto prouocare contra quosuis obtrectatores possint. Quemadmodum hic Apostolus ad testimonium suorum Thessalonicensium prouocat, quod exemplo sancto ipsos ad imitandum inuitarit. Debet enim Ecclesie minister esse forma fidelium in sermone, in conuersatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in puritate. 1. Tim. 4. debet semetipsum præbere formam bonorum operum, in doctrina integri-*

tegritatem, grauitatem, sermonem sanum, ir-  
reprehensibilem, ut is, qui repugnat, robore  
suffundatur, nihil habens, quod de huiusmodi  
ministro dicat mali, Tit. 2.

II. Monentur auditores, ut imitentur  
exemplum pastorum suorum, si nimirum hi  
benè præcesserint, & Christi exemplum fide-  
liter expresserint. Prædicat hoc nomine Thes-  
salonicenses suos Paulus, & collaudat, quod sui,  
reliquorumq; Apostolorum imitatores sint  
facti. Sic Philippenses suos hortatur Paulus  
cap. 3. Estote imitatores mei, fratres, & consi-  
derate eos, qui sic ambulant, quemadmodum  
habetis nos pro exemplari: Idq; repetit author  
epistole ad Hebræos cap. 13. Memores estote  
eorum, qui præsunt vobis, qui locuti sunt vo-  
bis sermonem DEI, quorum imitemini fi-  
dem, considerantes, qui fuerint exitus conuer-  
sationis illorum.

III. Monemur, sermonem Euangelij cer-  
tò comitari crucem & afflictionem, nec illum  
recipi posse, nisi cum afflictione multa. Quod  
& Paulus hoc loco, & Christus in parabola do-  
cet, quando eos, in quorum cordibus verbum  
fructificat, ait custodire et retinere semen ver-  
bi in corde honesto ac bono, & fructum afferre  
per patientiam. Idemq; vult Apostolus, quan-

Lucæ 8,

B 5 do in

do in visitatione Ecclesiarum Christianos Iconij & Lystris degentes consolatur & animas eorum confortat, testificans illis, quod per multas tribulationes oporteat ingredi in regnum cælorum, Actor. 14. Quotquot enim pie volent vivere in Christo IESU, persecutionem patientur, 2. Tim. 3.

IV. Exemplo Thessalonicensium meminerimus, illas, de quibus dictum est, afflictiones excipere & sufferre inuicto animo & cum gaudio Spiritus S. Quemadmodum & Christus gaudere iubet & exultare eos, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, siquidem merces illorum copiosa sit in cælis, Matth. 5. Hoc pacto Moses iam grandis factus potius eligebat malis affici cum populo DEI, quam temporarijs peccati commodis frui, maiores arbitratus diuitias probrum Christi, quam Aegyptiorum thesauros: respectum enim habebat remunerationis, Hebr. 11. Pari modo Christianos omnes hortatur Spiritus S. ne abijciant fiduciam suam, quæ magnam habeat præmij retributionem. Patientia enim opus esse, ut ubi voluntatem DEI peregerint, reportent promissionem, Hebr. 10.

V. Gaudium Christianorum ita comparatum esse discimus, ut nullis aduersitatum procellis

cellis concuti, conuelliq; possit. Quamuis enim foris afflictionem sustinent, tamen de gratia DEI latantur intus. Idcirco Philippenses suos hortatur Paulus: Gaudete in Domino semper, & iterum dico gaudete, Phil. 4. & mox: Pax DEI, quae superat omnem intellectum, palmam ferat in cordibus vestris. Quamobrem & ad Thessalonicenses scribit, ut semper gaudeat, 1. Thess. 5. Terrenū sanè gaudium, quamuis honestum, suum dicitur habere tempus, Eccles. 3. At gaudium hoc Spiritus S. adeò non est alligatū tempori, ut pij sub medijs afflictionibus nō modo gaudeant de tribulationibus suis, verū etiam glorientur sub spe gloria DEI, Rom. 5. Quemadmodū discipuli in Actis virgis casti et ignominia affecti letabantur et laudi sibi ducebant, quòd digni essent habiti pro Christo contumeliam pati, Act. 5.

VI. De duplici quoq; gaudio hīc monemur, quorum alterum est filiorum huius seculi, natum ex mundi huius voluptatibus aut terrenis cōmodis, sine omni DEI timore. Alterum verò est piorum ac fidelium, qui suam habent in DEO & verbo eius delectationem, Ps. 1. Illud gaudium evanescit tādē, imò in fletum conuertitur, Luc. 6. et Iacob. 4. Hoc autem gaudium spiritus in hac vita quidem incipit, ac  
perfi-

perficitur in altero seculo, nunquam à nobis  
 amplius auferendum, Iohan. 16. quemadmo-  
 dum scriptum est: Redempti à Domino re-  
 uertentur in Sion cum laude, letitia sempiter-  
 na super caput eorum, gaudium & letitiam  
 obtinebunt, fugiet dolor & gemitus, Esa. 35.  
 & 65.

VII. Summa laus alicuius ecclesiae est haec,  
 si fide, charitate, patientia in cruce, alijsq; vir-  
 tutibus Christianis præluceat cæteris ecclesijs,  
 usq; se quasi exemplum sistat. Ita namque non  
 ipsa solum sanctè inculpateq; uiuit, suaq; pie-  
 tati promissam retributionem percipit, 1. Ti-  
 moth. 4. & fructum suarum manuum come-  
 dit, Esa. 3. Sed in super exemplo sancto ædificat  
 alias Ecclesias, idq; in DEI laudem & glori-  
 am, iuxta illud Christi: Sic luceat lux uestra  
 coram hominibus, ut videant uestra bona o-  
 pera, glorificentq; patrem uestrum, qui est in  
 cælis, Matth. 5. Quem in modum & Petrus  
 scribit: Conuersationem uestram habete ho-  
 nestam inter gentes, ut in hoc, quod obtrectat  
 uobis, quasi maleficis, ex bonis operibus esti-  
 mantes uos, glorificent DEVM in die visita-  
 tionis, 1. Petri 2.

VIII. Monemur, uerbum Euangelij esse  
 instar tonitru omnipotentis DEI, cuius uox

atq;

atque sonus ab uno loco arcessens mox vicina loca complet & cōplectitur, haud aliter atque tonitru in nubibus fragore atque sono fortissimo longè lateq; perstrept. Hoc vult Paulus cū scribit: *A vobis per tonuit sermo Domini. Quemadmodum autem asserente scriptura DEVS tonitru maiestatis suae facundat terram, Iob. 36. Sic & praedicatio Evangelij non est inanis sonus aut strepitus, sed vox atq; tuba sublimis DEI, qui dat tonitru suo virtutem, Psal. 68. & efficit per hoc verbum suum omne id, ad quod missum fuerit, Esa. 55.*

IX. Quod fides Thesalonicensium dicitur esse in DEVM: de obiecto fidei monemur, dirigendam scilicet illam in DEVM solum & filium eius IESVM CHRISTVM, quemadmodum scriptum est: *Creditis in DEVM, & in me credite, Iob. 14. Complectitur quippe fiduciam cordis, quam in merum hominem aut carnem, aut nudam creaturam collocare, nefas est, Ier. 17.*

X. Insignis haec commendatio fidei Thesalonicensium refellit argumentum Papistarum, quod ex praconio laudis Ecclesiae Romanorum dato in scripturis, colligunt, ad astruendum primatum Pontificium. Etenim quia Paulus Roman. 1. cap. scribit: *Fides vestra an-*

Null-

nunciatur in toto mundo: inferunt hinc Pontificij; Romanam Ecclesiam esse matrem omnium reliquarum Ecclesiarum, esse magistram fidei, que prescribat ceteris ecclesijs; quid in fidei negotio tenendum sit, quid respuendum. Verum si hac esset firma collectio, eiusdem vi probari posset ex presentibus verbis, Thessalonicensium quoque Ecclesiam esse fidei magistram, ceterarumque per orbem ecclesiarum matrem. Quandoquidem de Thessalonicensibus non minus quam de Romanis predicat Apostolus, quod ab ipsis per tonuerit sermo Domini per Achaiam & Macedoniam, quodque fides illorum in omni loco dimanarit. Palam igitur est, nihil hinc peculiare posse Romanae Ecclesiae asseri, multoque minus astrui primatum illum, quem prolixo conatu quaesierunt synagoga Romanae episcopi, tandemque DEI permissu ad puniendam mundi ingratitude sunt consecuti.

XI. Quod Thessalonicenses Apostolis liberum adeo ingressum concesserunt, exemplo sunt pijs omnibus, maximeque his, qui in magistratu & eminentia sunt constituti, ut ingredi per Euangelium Christo portas regnorum, provinciarum & ciuitatum suarum aperiant, iuxta commonitionem Psalmi 24. At-  
tollite



tollite portas, principes, vestras, & introibit  
rex gloria. Qui verò populus ingressum Chri-  
sto et servis eius praecludere volet, extermina-  
bitur, secundum illud Esa. 60. Gens & regnum,  
quod tibi non seruerit, peribit, & gentes so-  
litudine vastabuntur.

XII. De admiranda rerum mutatione,  
quam mundo inuexit Euangelij prædicatio,  
quò ad vocem Euangelij gentes deseruerunt  
idololatriam auitam plurimorū seculorum v-  
suroboratam & altissimis radicibus defixam,  
& conuersæ sunt ab idolis ad DEVM. Qua  
ratione ad sonum prædicati Euangelij cecide-  
runt idola gentium, haud aliter atque olim ad  
tubarum sonum mœnia Iericho corruerunt,  
Iosue 6. aut præsentia arce propitiatorij Da-  
gon idolum Philistæorum euertit, 1. Samuel.  
5. Est q̄ res admiratione dignior, quòd illa  
gentium idololatria, pro qua olim ethnici se-  
uissima bella gesserant, abrogata est, non vi ar-  
morum, sed sola prædicatione Euangelij, con-  
tra totius mundi repugnantiam; ut verè scri-  
pserit Apostolus 2. Cor. 10. Arma militiæ nostræ  
non carnalia sunt, sed potentia DEO, ad de-  
molitionem munitiorum, quibus armis confi-  
lia demolimur & omnem celsitudinem, quæ  
extollitur aduersus cognitionem DEI.

XIII. De

XIII. De cecitate gentilium, qui olim seruiuerant idolis, & ut 1. Corin. 12 legitur, ad idola muta illa duci se passi erant: & ad Gal. 4. ignorantes DEVM seruiuerunt dijs, qui natura dij non sunt. Qua cecitate non potuit vlla alia esse vel maior vel deploratior; cuius abominationem Spiritus S. graphicè depingit Esa. 41. & 44. Itemq; Sap. 13. & 14. Hinc quantum beneficium nobis obtigerit, agnoscamus, quod ex tenebris illis ignorantia Ethnicorum iraduerti sumus in admirabilem DEI lucem, 1. Petri 2.

XIV. De infinito discrimine DEI veri & idolorum. DEVS enim verus nihil aliud est, quam ipsissima vita & essentia, unde & nomen suum sortitus est. Idola vero sunt nihil, 1. Corinth. 8. sicut scriptum est Esa. 41. Vos ex nihilo estis, & opus vestrum ex eo, quod non est, & abominabilis est, qui eligit vos.

XV. Quoniam Thessalonicensium respicientia definitur, conuersio ab idolis ad DEVM verum: non obscure docetur, DEO & idolis simul de seruire minimè posse, sed haec ita esse opposita, ut qui DEO seruit, eum necesse sit valedicere idolis, & e contra. Execrabilis igitur error est Romanensium & idolomania horreda, quod imagines pictas, sculptas, fusas, & ho-

Et hominum manibus fabrefactas eadem specie cultus esse colendas etiamnum hodie tradunt, qua ipsa illarum prototypa. Qua superstitione verè secessionem faciunt turpissimam à DEO viuento, & non minus idolomanie crimine sese obstringunt, quam olim deploratissimi quique ethnici.

XVI. De re diti CHRISTI ad iudicium mundi, quem expectari à Thessalonicensibus refert Apostolus. Huius expectationis fundamentum est promissio DEI, per angelos annuntiata Apostolis, Act. 1. Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quæ admodum vidistis eum euntem in cælum. Et hæc est illa beata spes, quæ pios sub onere tribulationum potentissimè fulcit ac sustentat, ut moli aduersitatum non succumbant. Ad Apostolos inquit Saluator: Si viderint hæc omnia fieri, quæ scilicet appropinquantem diem Domini portentant, debere illos gaudere & capita attollere, quod ipsorum in propinquo redemptio sit, Luc. 21. & sponsa dicit: Veni, etiam veni Domine Iesu, Apoc. 22. cupimus enim libentius esse domi apud Dominum, 2. Corinth. 5, omnisque adeo creatura simul ingemiscit, expectans revelationem filiorum DEI, ingemiscit, inquam, & parturit ad hoc usque tempus. Neg, verò illa so-

lum, sed & ipsi nos, qui primitias spiritus habemus, apud nos ipsos ingemiscimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri, Rom. 8. Ita verò nos geramus, ut liceat nobis cum gaudio expectare venientem Iudicem, & audire letam illam vocem: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis ab exordio mundi, Matth. 25.

XVII. De resurrectione Christi habemus hic luculentum testimonium, quo dicitur, DEVM resuscitasse Christum ex mortuis. Non autem pugnant hæc, sed tanquam subordinata pulchrè congruunt, quòd & pater resuscitasse scribitur Dominum Iesum, & Iesus ipse sua virtute à mortuis surrexisset, suiq; corporis templum reedificasse et animam suam resumpsisse memoratur, ut Iudæis prius edixerat, Iohan. 2. & 10. Est enim potentia resuscitans exanime Christi corpus à *δὲ κατέλωσ* una planeq; communis patri & filio. Vnde mirum non est, opus resurrectionis corporis Domini ob potentia *καὶ τὸ αὐτὸ ἔστι* utrique attribui, ita quidem, ut pater filium resuscitet, tanquam persona personam, & filius siue *λόγος* humanitatem seu corpus suum, tanquam persona naturam sibi hypostatica unionem copulatam.

XVIII. De

XVIII. Deitatis quoque Christi illustre testimonium est, quod filius DEI appellatur. Si filius: ergo à natura patris minime degeneravit, praesertim cum sit filius, hodie, id est, in aeternitate genitus, Psalm. 2. & genitus ante omnes creaturas, Colos. 1. cuius egressus ab initio à diebus aeternitatis, Michea 5. filius nimirum *מוֹרְיָנוּס*, unigenitus, Ioh. 1. et 3. adeoque proprius DEI filius, Roman. 8. expressa imago substantia patris & splendor gloria ipsius, Hebr. 1. qui cum Patre & Spiritu Sancto unum est, Iohannis 10. & 1. Iohannis 5. id est, unus cum illis, DEVS & Dominus, 1. Corinth. 8. DEVS verus, 1. Iohan. 5. DEVS in omnibus benedictus in secula, Roman. 9.

XIX. Quod Dominus Iesus liberare nos dicitur ab ira ventura, argumento nobis est, ipsum non tantum à culpa peccati nos redemisse, sed etiam à pœna; contra futilem atque nihili distinctionem Romanensium, qui CHRISTVM à culpa quidem peccati nos liberasse largiuntur, à pœna verò haud item. Paulus è contra IESVM etiam ab ira ventura, hoc est, à pœna sempiternæ damnationis nos eripuisse, clarâ & sonora voce pronunciat. Factus enim est maledictum

pro nobis, ut nos à maledictione legis (qua certe suprema legis pœna est, Deut. 27.) erueret, Galat. 3.

XX. Docemur, aeternam damnationem potissimum definiri sensu intolerabili indignationis omnipotentis DEI, qui cum iram suam omnem in hominem effundit, est ea damnatis verè ignis consumens & inextinguibilis. Quemadmodum scriptum est Roman. 2. Ventura est indignatio, ira, afflictio et anxietas, aduersus omnem animam hominis perpetrantis malum: & 2. Thessal. 1. legitur de damnatis, quòd pœnam luent interitum aeternum à facie Domini & gloria fortitudinis illius. Sic quoque Apocal. 6. scribitur, quòd dicturi sint montibus & petris, cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus ira illius, & quis poterit stare?

## CAPVT SECVNDVM.

CAPITE secundo Paulus Thessalonicensibus suis in memoriam redigit suum ad illos introitum & ministerium inter ipsos peractum, in sancta, planeq; paterna conuersatione. Secunda parte redit ad gratiarum actionem, primo capite

capite inchoatam, pro dono DEI concessio Thessalonicensibus, quòd in sermone Euangelij per fidem semel suscepto, contra omnis generis aduersitates constantissimè perseuerârint. Tertiâ parte testatum reddit ardens suum desiderium veniendi ad illos, quod tamen hæctenus, obstante Satanâ, exple-re non potuerit, assignata simul causa, ob quam tantopere illos cupiat re-uisere.

PRIMA PARS  
CAPITIS II.

**N**AM ipsi nostis fratres) De suo ad ipsos accessu primo & ministerij inter illos per-acti cursu dicturus, ad ipsorummet testimoni-um & conscientiam prouocat. Non autem abs-re tam diligenter de suo apud Thessalonicen-ses apostolatu ac ministerio differit: ut nimi-rum hac eis in memoriam reuocando de indu-bitata certitudine accepti sermonis illos con-firmet, & recordatione suarum, quas Philip-pis sustinuerat, afflictionum ad consimilem eos alacritatem ferendi tribulationes exusci-tet, & veraci predicatione sanctæ & inculpa-tæ suæ conuersationis ad imitandum prouocet.

Primum autem ad animum eis reuocat, quod  
 suus aduentus non fuerit apud illos ina-  
 nis, sed fructibus Euangelica professione  
 dignis, fecundus & grauidus. Ostendit ve-  
 ro simul, se, Syluanum & Timotheum non  
 fuisse deterritos difficultatibus afflictionum,  
 qua obijciebantur, quo minus infracto ani-  
 mo pergerent predicare Euangelium CHRI-  
 STI. Vbi cum primis meminit aduersita-  
 tum, quas Philippis perpeffi fuerint. Qua  
 vero illa fuerint, docet liber Actorum Apo-  
 stolicorum capit. 16. Etenim postquam Pau-  
 lus ad flumen predicans Euangelium de  
 IESU, conuertisset & baptizasset Lydiam,  
 purpurarum venditricem, & domum eius,  
 & spiritum immundum e puella, qua diui-  
 nando questum magnum dominis suis pra-  
 stiterat, eiecisset: indignantes domini eius,  
 sibi questum illum interuersum, & bolum e  
 faucibus ereptum, traxerunt Paulum & Sy-  
 lanum siue Syluanum ad magistratum, eosque  
 turbata quietis concitatiue motus reos ege-  
 runt. Vnde factum, ut publice virgis casti-  
 et ignominia affecti, in carcerem detruderentur,  
 ex quo tamen ea nocte per terramodum,  
 concussis carcere & fractis ianuarum repa-  
 gulis, liberati sunt. Haec ex gestis suis repetit  
 Paulus.



Paulus, & testificatur, se & collegas nil moratos hasce contumelias, magna in DEVM fiducia, non sine arduo certamine locutos esse Evangelium DEI.

Siquidem exhortatio nostra non) Quam syncerè prædicarit Thessalonicensibus verbum Evangelij, id sequentibus haud obscure declarat, cum inquit: Siquidem exhortatio nostra non fuit ex impostura, &c. tenendum autem, ea, quæ Paulus, Sylvanus & Timotheus à se remouent, obliquè conferri ac reijci in Pseudoapostolos, ita vt singulis membris sua quædam tacita insit antithesis. Exhortatio nostra non fuit ex impostura, quemadmodum scilicet falsorum Apostolorum prædicatio tota eò tendit, vt imponatur hominibus doctrina falsa, quam illi pro vera speciosè venditant.

Neque ex immunditia) Secundum est membrum tacite antitheseos, quo remouet à se omnem causam dissolutæ vitæ, quòd non aperuerint sua prædicatione fenestram licentiæ peccandi & immunditiæ, quemadmodum nonnulli facturent.

Neque cum dolo) Tertium membrum est, quòd non dolosè egerint eum Thessaloni-

C 4 censi-

*consibus, aut fraude illos circumuenerint,*

*Sed quemadmodum probati) Posteaquam à se & collegis ea remouit uitia, quae Pseudoapostolis peruulgata erant, nunc ex opposito ostendit, quae integritate atq; fide prædicarint eis Euangelium, fide nimirum ea, quae sint à DEO ipso iudicati fideles & idonei, quibus dispensatio mysteriorum Euangelij committeretur.*

*Non ut hominibus placentes) Amolitur à se ambitionis quoq; crimen, quod labores & conatus suos non eò conuerterint, ut hominibus placerent, atque horum captarent fauorem & gratiam. Post remotionem finis falsi, assignat prædicationis suae verum finem atque proprium, in quem cen scopum præfixum omne suum ministerium unice direxit, nempe ut sese approbarent DEO: adijcit verò: Qui probat corda nostra, nimirum ad authorem sui Apostolatus prouocat, qui est DEVS κατὰ ἰσχυρῶς, probans renes & corda: & perscrutans tacita humanorum cordium consilia & cogitata.*

*Neq; enim vnquam per sermonem) Paulus à se atque socijs adulationis quoque uitium depellit, grauius asserens, nil quicquam à se*

se per adulationem esse factum aut susceptum, quod aliàs solent, qui hominibus placere student, probantes aut certè dissimulantes, ea, quæ verbo Dei castiganda & reprehendenda erant, idq; solius hominum favoris retinendi gratia.

Nec per occasionem auaritiæ.) Sed & auaritiæ crimen se studiosissime deuitasse perhibet, ne iure sibi obijci posset, quod ministerium Euangelij in turpem quæstum conuerteret. Ab hoc vitio se adeò abhorruisse scribit, ut Deum etiam in testem vocare nihil extimescat.

Neq; quærentes ex hominibus gloriam.) Venditationem quoque donorum, ut & apostolicæ dignitatis ostentationem à se prorsus fuisse alienam demonstrat, per distributionem ostendens, se neq; à Thessalonicensibus, neq; ab alijs quæsiuisse gloriam, imò ne quidem eâ laude & auctoritate esse vsos, quam suo quodam iure sibi vindicare & usurpare poterant, cum possemus, inquit, esse in authoritate, tanquam Apostoli Christi. Nam quod Paulum attinet, fuit is citra controuersiam Apostolus summus: Syluanus verò & Timotheus Apostolico Spiritu atq; donis commendati. Refert autem, se hac tanta eminentia

sponte se quodammodo abdicasse suoque cecidisse iure, & fuisse in medio Thessalonicensium placidos, ne quid velut ex dominio agere vellet viderentur.

Perinde ac si nutrix foueat.) In hac sua placiditate describenda vitur suavissima similitudine nutricis, non conductitiæ alicuius, quæ haud raro negligunt data opera infantes sibi commissos, sed nutricis, quæ sit filiorum mater, ideò namque ait, perinde ac si nutrix foueat suos filios. Sicut enim mater aliqua suum infantulum diligis tenerrimè, blandissimeq; fouet & complectitur, eundemque lactat & nutrit, & nihilominus eorum prætermittit, quæ ad exquisitam curam & educationem infantuli pertinere videantur: ita docet Apostolus, se & collegas pariter erga Thessalonicenses recens per Euangelium regenitos, fuisse affectos, omniq; studio, cura & sollicitudine hoc unum egisse, ne quid eis obijceretur, quo offensi alienari possent ab Euangelij doctrina semel recepta: vel etiam, ne quam eis vlla in re crearent molestiam aliam. Quin ita se affectu planè paterno in illos fuisse propensos, vt ex animo cuperent & gestirent impartiri eis, non Euangelium solum, verùm

verum etiam suas ipsorum animas, hoc est, vitam suam, quem non dubitarint pro comodo Ecclesiae Thessalonicensium. si res ita ferret, & propaganda apud illos veritatis necessitas efflagitaret, in extremum discrimen adducere, idque adeo hinc, quia intimè chari facti sint Apostolo & collaboratoribus eius in Domino.

Meministis enim, fratres.) Argumento evidentissimo ceu oculari demonstratione testatum reddit, quanto studio illud auaritia peccatum declinarint. Vbi rursus ad ipsorum testimonium prouocat, quod ipsi met meminerint laboris & sudoris, quo non tantum predicarint verbum Euangelij, verum etiam suis manibus sibi victum & alimoniam compararint: Estque hic sensus: Licuisset nobis, ut & ceteris Apostolis, petere ab Ecclesia vestra stipendium, si quidem dignus est operarius mercede sua. Hoc autem iure vsi non sumus, sed potius die ac nocte laborauimus, interdum quidem Euangelium predicando, noctu autem manuarium artificium tractando, indeque nobis victum necessarium acquirendo. Quod eò factum à nobis est, ne cogeremur vos grauare petitione stipendij. Itaque malimus vobis Euangelium gratis & precario annunciare, sine vlla spe terreni emolumentum. Porro fuit  
opisi.

*opificium Pauli texere aulea, ut Act. 18. legitur.*

Vos autem testes estis & DEVS.) Nunc integritatem suam inter Thessalonicenses acta vita asserit, non quidem sui collaudandi gratia, sed ut Pseudoapostolorum criminacionibus viam intercluderet. Vbi rursum appellat testem Deum, testes quoque Thessalonicenses. Vos nostis, inquit, utpote qui cominus aspexistis conuersationem inter vos nostram. Testis verò est DEVS, tanquam omniscius scrutator abstrusissimarum cogitationum, nedum dictorum & factorum. Scribit ergo, se & legationis Apostolicae socios versatos esse cum Thessalonicensibus sanctè, iustè & inculpate. Quae commendatio non eò pertinet, ut Apostolus se & cooperarios suos numero peccatorum eximat, sed ut doceat, vitam suam ab externis flagitijs & offendiculis fuisse liberam & immunem.

Quemadmodum nostis, quales erga vos.) Quemadmodum Paulus asseruit suam in medio Thessalonicensium conuersationis innocentiam: ita nunc suauitatem illius praedicat, similitudine, ut paulò antè, nutricis matris, ita nunc patris illustratam, inquiens, se erga vnumquemque illorum fuisse affectos, ut  
pater

pater affectus esse soleat erga suos liberos: probat id testimonio Thessalonicensiu; quemadmodum nostis, inquit. Deinde probat effectu ipso, eam nimirum præstita fidelitate in suo munere, quam pater aliquis in educatione liberorum suorum usurpare consueuerit. Deditse namq; se operam, ut omnes atq; singulas sui muneris apostolici partes accurata diligentia exequerentur, obsecrando Thessalonicenses videlicet, ut à studio peccandi sibi temperent: tum consolando pusillanimes, afflictos & tentatos: tum deniq; obtestando singulos & uniuersos, ut dignè ambulēt Deo, qui vocasset eos in suum regnum & gloriam. Quibus verbis nouam obedientiam Deo præstandam opponit pristinae illorum in ethnicismo conuersationi impura & flagitiose, eosq; argumento à dignitate vocantis Dei, tum ipsius illius uocationis, tum finis eiusdem admonet, ut, ommissa uita priore, nunc ita uiuant, quemadmodum dignum est DEO & Euangelio ipsius, ad cuius communionem & regni cælestis participationem illos uocari Dominus.

### LOCI COMMVNES.

I. Dabunt exemplo Pauli fideles uerbi ministri

nistri operam, ut suus ad Ecclesias, quibus quisque praeficitur, aduentus & introitus, totusq; praedicationis cursus non sit inanis aut irritus. Id verò consequentur, si introitus iste fiat per verum ostium legitimae vocationis & sanae incorruptaeq; doctrinae, Iohan. 1. Si DEVM pro incremento laborum precati fuerint. Si sancto in super exemplo comprobarent & exornarent doctrinam servatoris nostri DEI, Tit. 2. adeoq; ministerium suum ad plenum probatum reddere laborarint, 2. Tim. 4.

II. Fide Evangelij ministri parati sint ad ferendas afflictiones, contumelias & opprobria mundi. Præluxit nobis hac in parte Paulus, maximè verò Christus, qui opprobria sustinuit hostium suorum, qui etiam Apostolos exemplo illo suo solatus est, Iohan. 15. quemadmodum & Matth. 10. ait: Si patrem familias dixerunt Beëlzebub, non parcent domesticis. Gestamus verò sic conformes fieri imagini filij Dei & participes reddi afflictionum, patientiae & regni ipsius, Apoc. 1.

III. Docemur imposturam debere ab Ecclesiae ministris esse prorsus alienam. Falsis doctoribus usitatum est homines circumvenire dolo, & per imposturam errores suos pro veritate



ritate hominibus obtudere. De quibus Rom. 16. Paulus scribit, quod per blandiloquentiam & assentationem decipiant corda simplicium. Et 2. Cor. 11. quod sint operarij dolosi, qui sumpta persona Apostolorum Christi, ad exemplum Satanae, transfigurantis se in Angelum lucis, pro iustitia ministris sese venditent, quorum autem finis sit futurus iuxta opera illorum.

IV. Immunditia quoque à diuini verbi concionatoribus absit quàm longissimè. Damnanda igitur illorum impietas est, qui dogmata spargunt, quibus licentia peccandi via sternitur. Talis fuit olim doctrina Nicolaitarum, Apocalyp. 2. Huiusmodi est hodie dogma Pontificiorum de cœlibatu sacerdotum, quod tanta pertinacia defensant, ut palam scribant & dicant; Leuius esse peccatum, alere concubinas & scortari, quàm si minister Ecclesie associet sibi legitimam coniugem & thori sociam. Hac doctrina fenestram aperit impuritati omnis generis: proinde ab Apostolo haud absre nominatur doctrina demoniorum, 1. Tim. 4. Veri doctores non modo non probent, sed ne quidem dissimulet auditorum suorum immunditiam, libidines & peccata, quin seueriter ea reprehendant, Es. 58. Ipsi quoque  
se se

*fese mundent ab omni inquinamēto carnis et Spiritus, perficientes sanctimoniam in timore DEI, 2. Cor. 7.*

V. Quos hoc honore dignatus est Dominus, ut eis committeret ministerium verbi sui: hi meminerint suam Deo vicissim probare fidem & diligentiam. Sic Paulus eterno DEO gratias agit, quod idoneus iudicatus sit, qui poneretur in ministerium, 1. Timoth. 1. Et circa finem epistolae ad Coloss. hortatur illos, ut dicant Archippo: Vide, ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Hoc est, quod Paulus Timotheo, loco regulae, praescribit: Stude te ipsum probatum exhibere DEO, operarium non erubescendum, 2. Tim. 2.

VI. Pastores Ecclesiae omnia sua dicta & facta in hunc praefixum scopum dirigant, ut DEO placeant, non hominibus. Sane, si saluo officio & veritate affulget alicui doctore Ecclesiae fauor hominum, pro DEI dono istam beneuolentiam agnoscat, nec tamen ei fidat, Ierem. 17. Omnis quippe homo mendax, Psal. 116. & hominum fauor planè mutabilis est, Psal. 146. Quando verò alterutrius iactura facienda est, praestat amittere fauorem totius mundi, quàm solius Dei gratiam. Si homini-

*bus*

bus placerem, inquit Paulus, CHRISTI ser-  
uus haudquaquam essem, Gal. 1.

VII. Adulationis vitium in doctoribus &  
pastoribus Ecclesiarum planè exitiosum est.  
Efficat enim, ut ad hominum peccata conni-  
ueant, ut probent non probanda, ut, que lau-  
danda erant, in gratiam aliorum improbent,  
seque ad nutum prepotentium aut vulgi placitum  
componant. Quod sine proditione veritatis  
cælestis, pietatisque iactura, quineque absque anima-  
rum exitio perpetuo fieri nulla ratione potest.  
Sic Achabo regi adulabantur Pseudoprophetae  
ipsius, 1. Reg. 22. Sic Ieremiae temporibus sa-  
cerdotes & falsi Prophetae seruiliter admodum  
blandiebantur regi & populo, reclamantes  
concionibus Ieremiae, quibus Babylonica ser-  
uitus & Iudæe vastitas denunciabatur, pro-  
mittentes vicissim pacem, ubi non pax, sed bel-  
lum & desolatio in Dei consilio decreta erat,  
Ier. 23. Ezech. 13. Tales Spiritus sanctus gra-  
uissimè reprehendit passim, non sine atrocissi-  
marum pœnarum comminatione, Esa. 30. &  
56. Mich. 2. Amos. 2. & 7. Quemadmodum &  
in Threnis Ieremiae cap. 2. Spiritus sanctus  
de Pseudoprophetais pronunciat, quod populo  
Iudaico viderint visiones falsas & eiectio-  
nem.

D VIII. De

VIII. De auaritia: quæ ut omnibus Christianis inuisa & exosa esse debet, sic in primis fugienda est ministris verbi. Quamobrem inter proprietates fidelis episcopi refertur & hæc: ne sit turpis lucri cupidus: quin potius, ut sit alienus ab auaritia, 1. Tim. 3. Quod si fidelis pastoribus suus labor non pensatur ab ingrato mundo, si non colligunt multas diuitias, si vxoribus atque liberis suis debita potius quam facultates relinquunt: solentur sese, quod mercedem aliquando sint accepturi à Domino, 1. Cor. 3. & 1. Petr. 5. Et meminerint, esse quæstum magnum, pietatem, cum animo sua sorte contento, 1. Tim. 6. Sunt verò permulti, qui prædicationem Euangelij per auaritiam in quæstum conuertunt, cauponantes verbum Dei, 2. Cor. 2. dicentes, quæ non oportet, turpis lucri gratia, Tit. 1. Quales Ezech. 13. describuntur Pseudopropheta, quod ob pugillum hordei prædicent gratia populo. Hi sequuntur viam Bileami, qui mercedem iniquitatis dilexit, 2. Petr. 2. ideo iustas pœnas luit, Numer. 31.

IX. Sed & ambitio procul absit ab omnibus, qui se ministerio Ecclesiastico consecraverunt. Paulus, cum posset esse in autoritate, tanquam Apostolus CHRISTI, non tamen

ea v-

a. Reg. 8.

ea usus est, nec gloriam quæsiuit apud homines, sed imitatus Dominum IESVM, humilem sese exhibuit erga omnes. Quæ humilitas ut in genere decet omnes Christianos, ita si in magnis Ecclesiæ luminibus eluceat, virtus est omni laude dignissima. Sic Iohannes Baptista ex humilitate minimè simulata se prorsus indignum censet, qui CHRISTO corrigiam calceamenti soluat, Matthæi 3.

Et Paulus se minimum Apostolorum nominat, imò indignum, qui Apostolis connumeretur, 1. Corinth. 15. Quantum verò huic virtuti oppositum vitium, si quando Doctorum occupant animos, nocuerit Ecclesiis, testantur exempla omnium temporum: Et nos hodie experimur in tristissimis exemplis eorum, qui ex mera ambitione scindunt unitatem Ecclesiæ, eiusq; tranquillitatem turbant, suiq; honoris & gloriolæ stabiliendæ gratia ex imis sedibus vniuersa commouere satagunt.

X. Insignis est quoque virtus & imitatus longè dignissima illa placiditas & mansuetudo, quæ in Apostolo Paulo effulsit, qui scribit, se inter Thessalonicenses placidum fuisse, hæud aliter, atque nutrix filios suos blandissi-

mo complecti soleat osculo. Hanc virtutem, sub Timothei persona requirit Apostolus à cunctis pastoribus, 2. Tim. 2. Seruum Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos cum mansuetudine, erudientem eos, qui obsistunt. Quin ubi etiam obiurgandi sunt auditores, fiat id cum omni mansuetudine & doctrina, 2. Tim. 4. ut ex ipsa re manifestè pateat, obiurgationes illas non ex affectu carnali aut cupiditate vindictæ proficisci, sed ex animo salutis auditorum sitientissimo. Quamobrem 1. Timoth. 5. præcipit: Seniores ne seuius obiurges, sed adhortare, ut patrem, iuniores ut fratres: mulieres natu grandiores, ut matres: iuniores ut sorores, cum omni castitate.

XI. Paulus & collega expressam nobis exhibent ideam verorum ac fidelium pastorum Ecclesie, quòd gestiunt gregi suo communicare non solum Euangelium, sed suas insuper ipsorum animas, adeoq; vitam suam in discrimen pro illis adducere minimè reformidant. Idq; ad exemplum principis pastorum IESU CHRISTI, qui & ipse (licet ratione & fine sublimiore) posuit animam suam pro ouibus, Iohan. 10. Hac de causa dicuntur præcones

nes Euangelij pastores, Ier. 3. Act. 20. ut sibi si-  
nant esse cordi incolumitatem & salutem gre-  
gis commissi. Qui enim concionator salutis au-  
ditorum suorum negligens in ministerio Ec-  
clesiastico terrena duntaxat commoda secta-  
tur, is non pastor est ouium, sed infidelis mer-  
cenarius, Ioh. 10. suam olim accepturus mer-  
cedem cum hypocritis, Matth. 25.

XII. Monemur, licere sanè accipere ab Ec-  
clesiis stipendia pro labore, Gal. 6. Quemad-  
modum ordinauit Dominus, ut, qui Euange-  
lium annunciât, de Euangelio uiuât, 1. Cor. 9.  
Interim studiosissimè cauendam esse suspicio-  
nem auaritia, ne in exigendis stipendijs suis  
nimis sint rigidi concionatores & scrupulosi,  
ne videãtur potius turpiter affectare lucrum,  
quàm propenso animo facere officium, 1. Pet. 5.  
Semper cogitent mercedem suam repositam  
esse in cælis, ideoq; Domini opus non fraudu-  
lenter, sed fideliter & diligenter faciant, Ie-  
rem. 50. sub spe non terreni stipendij, sed re-  
tributionis cælestis, quam promisit is, qui  
mentiri nescit, DEVS, Daniel. 12. 1. Petr. 5.  
Apoc. 2.

XIII. Differentia notanda venit inter  
Apostolos & reliquos diuini uerbi ministros.  
Sanè Paulus utramq; simul & semel poterat

D 3 susti-

*Sustinere provinciam, hoc est, prædicare Evangelium, & artem exercere manuariam, texendo aulea siue tabernacula, Act. 18. Quandoquidem immediatè à Deo illustratus & in tertio cælo ac Paradiso Dei doctus exactè scripturam tenebat propheticam, & velex tempore præclaras habere poterat conciones: quin & reliquas præstare sui muneris partes citra operosam præparationem. Cæteris doctoribus Ecclesiarum opus est diuturna institutione, acri studio, assidua lectione ac meditatione indefessa, iuxta illud: Attende lectioni, exhortationi & doctrina, 1. Tim. 4. Proinde his exercere opificia, vel alijs artibus quæstum facere minimè licet, Syr. 39.*

XIV. *Quanquam utraq; manu tenendum est illud Salomonis: Laudet te os alienum: sæpiusculè tamen usu venit, ut necessitate quadam adacti pij Ecclesiarum ministri inculpatam suam conversationem prædicent, non sanè, ut propriarum laudum celebratione se titillent, sed ut criminationibus obfistant eorum, quibus solenne est, piorum etiam hominum, maximè doctorum Ecclesiæ, famam calumnijs suis arrodere & denigrare. Ita Samuel Propheta de suo munere iudiciario inter Israëlitas peracto rationem reddens*



dens coram DEO & populo palàm enunciat, non se cuiusquam appetuisse, multò minus accepisse, vel bouem vel asinum, nec calumnijs oppressisse quenquam, 1. Sam. 12. Idem verò & Dauid factitat, Psal. 7. 18. & alijs. Sic coram presbyteris Ecclesie Ephesine Paulus Act. 20. grauissimè testatur de officio summa fide diligentiaq; expleto. Proinde sicut extra hunc casum quisque de se modeste sentire & loqui debet, Roman. 12. ita dent operam ministri verbi, ut sese exhibeant irreprehensibiles, quò is, qui repugnat, rubore suffundatur, nihil habens, quod de eis dicant male, Tit. 2. E-contra, qui concionatores turpi & illaudata vita offendunt gregem Domini, neque vitam suam, etiam moniti, emendant, hi à tam sancto munere remoueantur absq; omni misericordia.

XV. Apostolus aliquoties Deum testem inuocans suæ inter Thessalonicenses sanctæ integræq; peractæ cōuersationis, docet, licere in grauioribus causis præter affirmationem aut negationem simplicem, uti insuper religiosa attestatione, seu, quod idem est, iuramento. Quamquam enim Christus meritò damnat iuramenta leuia, quibus vel falsitati species quedam veri conciliatur, non sine horribili profanatione

D 4 nomi-

nominis diuini & periurij scelere: vel res, qua  
 iuramento asseritur, vera quidem est, sed non  
 eius momenti, ut iurisiurandi religionē desi-  
 deret; quemadmodum & eas prohibet iuran-  
 di formulas, qua fiunt per creaturas, Matth.  
 5. Et per id quod non est DEVS, Ierem. 5. &  
 12. Tamen in rebus arduis, concernentibus  
 vel DEI gloriam, vel hominum aeternam sa-  
 lutem, vel in iudicio ciuili, inuestigationem  
 veritatis, iurare fas est, iuxta illud Deut. 6.  
 In nomine meo iurabis. Huiusmodi iura-  
 mentis legitimè prestitis non profanatur, sed  
 sanctificatur DEI nomen, quando quidem  
 ascribitur illi, quod sit custos veritatis, iusti-  
 tiae assertor, scrutator cordium humanarum  
 & periurij ultor atq; vindex omnipotens. Ideo  
 pro specie diuini cultus in scripturis allegatur  
 iuramentum, ut cum Propheta concionantur  
 de vocatione gentium ad CHRISTI regnum  
 sub nouo testamento, palam affirmant, gen-  
 tes non amplius iuraturas in nominibus Deo-  
 rum gentilium, sed in nomine Domini DEI  
 exercituum, Esa. 19. Quemadmodum certe  
 sub nouo testamento non tantum Christus i-  
 pse passim in Evangelica historia iurat, sed et-  
 iam Apostolus esus, Paulus, cum hic, tum alibi,  
 veluti Rom. 1. & 9. & 2. Cor. 1.

XVI. De affectu ministrorum ecclesiae erga suos auditores. Is ad Apostoli exemplum sit paternus. Hic amor sincerus ubi regnat in cordibus ministrorum Euangelij, & vicissim in animis auditorum filialis reuerentia & obedientia erga pastores: quid, quæso, coram DEO & angelis vel iucundius vel exoptatius esse potest?

XVII. Docemur, efficacissimum esse argumentum sancienda pietatis in hominum animis, si dignitatem cælestis suæ vocationis diligenter secum expendant, quod vocati sint ad DEI regnum & gloriam, vocati vocatione sancta, non secundum opera sua, sed secundum propositum, gratiamque DEI, 2. Timot. 1. vocati non ad immunditiam, sed ad sanctificationem, 1. Thes. 4. Quamobrem æquum & iustum est, ut ambulent dignè DEO, qui vocauit illos in suum regnum & gloriam, ut ambulent ita, ut dignum est vocatione, qua vocati sunt, cum omni submissione & mansuetudine, Ephes. 4. Et quidem eò vocati, ut sint genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus, qui in lucrum accessit, ut prædicent virtutes illius, qui è tenebris eos vocauit in admirabilem suam lucem, 1. Pet. 2.

D 5 SECVN-

SECUNDA PARS  
CAPITIS II.

QVAPROPTER & nos gratias agimus) *Secunda pars gratiarum actionem complectitur, non absimilem ei, quae capite primo descripta extat. Agit enim, unà cum collegis, DEO gratias, idq̄ sine intermissione, quòd sermonem Euangelij predicatum inter ipsos susceperint, non ut hominū inuentum, aut ut doctrinā recens ab hominibus ingeniosè excogitatam: sed ut verbum ipsius aeterni DEI, qui per filium suum Euangelium manifestavit, & semetipsum in eo cognoscendum exhibuit: ideoq̄ dicitur sermo, quo DEVM didicerint. Addit autem:*

*Sicut verè est, ostendens, non inani quadam persuasione inductos Thessalonicenses, sed plus quàm rationibus humanis motos sermonem Apostolorum pro indubitato DEI verbo esse complexos.*

*Qui & agit in vobis credentibus) Argumento ab effectu sumpto probat Apostolus, DEI esse sermonem doctrinam Euangelij, eò quòd diuinam spiret vim & efficacitatem, quam exerat in his, qui credūt, & fide sermonem Euangelicæ predicationis amplectuntur.*

Vos

Vos enim imitatores) Ratio, qua probationem suam munit, & demonstrat, DEVM per Euangelium voce Apostolorum prædicatum in Thessalonicensibus efficaciter fuisse operatum fidem, spem, patientiam in aduersis, & virtutes Christianas alias: Quandoquidem imitatores sint facti ecclesiarum DEI, quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu: imitatores vero in patientia, constantia & perseuerantia sub cruce & persecutione, quam sustinuerunt non ab alienis, sed suis concinibus & popularibus, planè sicut Apostoli conuersi, Iudæi à suis contribulibus varias persecutiones pertulerint, quod ex Actis cap. 7. 8. 9. 21. & multis alijs, nec non Hebræor. 10. manifestum est.

Qui etiam Dominum occiderunt) Quod de persecutionibus ab incredula Iudæorū gente concitatis monuit: id exaggerat nunc adhibita distributione, factò initio à capite, hoc est, à Domino Iesu, quòd nimirū Iudæi non exhorruerint ipsummet filium DEI, Dominumq; gloria trucidare, nedum ut hominibus parcerent. Occidisse enim illos in super prophetas, quod et Saluator eis Matth. 23. non sine addita seuerissima interminatione perpetui exitij palam obijcit. Tertio verò persequuntur & Aposto-

*Apostolos, quemadmodum subiicit Paulus: Ita & nos persequuntur, hisq; factis impijs suis nec DEO placent, nec pijs hominibus, quibus aduersantur sedulo, & eternam salutem eis inuident, obsistentes Apostolis, ne predicetur gentibus Euangelium DEI, ne forte & ipsa saluentur. Dolet enim Iudais, quod & gentes participes esse debeant parte per Christum gratia & salutis. Proinde illam, quibuscunque possunt, modis & rationibus impedire satagunt.*

*Vt expleant peccata sua semper) Deploratam peruicaciam & insatiabile odium infidelium & reproborum Iudaeorum notat, quod a proposito persequendi fideles non desistant, donec mensuram peccatorum suorum probe cõpleuerint; quo facto perpetuas deinde suae malitiae, inuidiae, perfidiaeq; poenas luent. Hoc est, quod subiicit, ut expleant peccata sua semper. Peruenit enim in illos ira in finem, ubi & causa exitij designatur impententia illorum & inexpugnabile studium persequendi Euangelium Christi; & effectus subiungitur, Ira Dei, quae in finem, id est, in omnem perpetuitatem duratura & mansurafis super illos.*

LOCI

## LOCI COMMVNES.

I. DEO pro successu Euangelij indesinenter esse agendas gratias, idq; exemplo Pauli Apostoli, exemplo etiam CHRISTI, Matth. 11.

II. Verbum ministerio Apostolorum annunciatum mundo non esse doctrinam ab humano ingenio confictam, sed cœlitus patefactam & diuinitus inspiratam, 2. Tim. 3. adeoque verè verbum ipsius DEI. Multis id argumentis & demonstrationibus euincitur, quæ nunc enumerare singula nimis prolixum foret. Peculiariter etiam ex eo patet, quòd in cordibus hominum effectus ciet planè diuinos, putà, filialem erga DEVM fiduciam, spem inconcussam, ardentem inuocationem, patientiam infractam, imò letitiam in aduersis, Rom. 5. & admirandam in ipsa morte constantiam. Quod electus ille cœtus plurimorum millium martyrum ac testium Iesu Christi locupletissimè testatur, qui pro Euangelij doctrina minimè dubitarunt exquisitissima sustinere tormenta & supplicia, non certè suis confisi viribus, sed DEO excelso freti, qui per verbum Euangelij consolationem viuam & perseuerantiam aduersus terrores & pauores mortis in eis operatus est.

III. Con-

III. Contra Suenckfeldianos discimus ex Apostoli textu, verbum Euangelij non esse sonum euandidum aut literam mortuam, sed sermonem efficacissimum, utpote, qui agit in nobis, qui valet ad ciendam, virtute Spiritus S. fidem, regenerationem & salutem. Est enim sermo DEI viuus & efficax, & quouis ancipiti gladio penetrantior, Hebr. 4. est odor vitae ad vitam, 2. Cor. 2. est verbum vitae aeternae, Iohan. 6. est potentia DEI ad salutem omni credenti, Rom. 1.

IV. Discimus adhuc ex verbis: quo DEVM discebatis, DEVM naturâ nobis esse incognitum, & non nisi ex patefacto Euangelij verbo disci & agnosci. Quanquam enim Philosophia quoq; tradit aliqua de DEO, & gentes beneficio luminis naturæ ex visibilibus operibus mundi æternam DEI potentiam & diuinitatem agnouerunt, Rom. 1. Hæc tamen notitia planè mutila & manca & ad æternæ salutis rationes inefficax fuit & insufficiens. Quandoquidē Philosophia nondum ostendit, quis sit DEVS ratione distinctarū in vna essentia personarum: quomodo itē sit colendus, quo pacto erga nos homines affectus, quemadmodum & de mirando consilio redemptionis humani generis apud omnes Ethnicos scriptores &



res & Philosophos altissimum silentium est. DEVM enim nemo vidit vnquam: filius, qui in sinu Patris est, enarrauit nobis, Ioh. 1. Ideoq; Christus Matth. 11. grauissimè pronūciat: Nemo nouit Filium nisi Pater, et nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui filius voluerit reuelare. Quæ verò gentes filium non norunt, eæ ne Patrem quidem habent, 1. Ioh. 2. Et proinde abscissi sunt à vita, quæ ex DEO est, Ephes. 4. Siquidem vita æterna in hoc cardine cognitionis DEI & Christi vertitur, secundum illud Iohānis 17. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum DEVM, & quem misisti Iesum Christum.

V. Ad persecutiones forti & intrepido petore subeundas plurimum nos animet exemplum piorum, qui ante nos ob veritatem Euangeliij & iustitiam consimilia certamina sustinuerunt. Quemadmodum Paulus refert, Thessalonicenses hac in parte imitari ecclesias in Iudæa. Et Christus ad suum exemplum nos iubet respicere, Matth. 10. et Ioan. 15. Spectandum quoque proponit exemplum sanctorum Prophetarum: Gaudete, inquit, & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælis. Sic enim persecuti fuerunt Prophetas, qui fuerunt ante vos, Matth. 5.

VI. Moa

VI. Monemur, non esse nouum, si quando homines pijs propter nomen Christi etiam à contribulibus, popularibus, conciuibus, imò domesticis mala multa sufferre coguntur. Sic Iudæi Messiam ex sua gente oriundum occiderunt, qui in sua venit, sui autem non receperunt illum, Ioh. 1. Sed horribili scelere Dominum gloria crucifixerunt, 1. Cor. 2. & principem ac authorem vitæ interfecerunt, Actor. 3. Eandem autem ferè sortem fidelium suorum prædixit ipse, Matth. 10. Tradet, inquit, frater fratrem in mortem & pater filium, & insurgent filij aduersus parentes, & morte afficient eos, & eritis odio habitus ab omnibus propter nomen meum.

VII. De horribili amentia, stupore, cecitate & crudelitate reprobatorum Iudæorum, qui & Prophetas occiderunt, et Apostolos persecuti sunt, & manus suas sanguine filij DEI commaculare non exhorruerunt, ut nimirum veniret super illos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti usq; ad sanguinem ultimi martyris in medio ipsorum occisi, Matthæi 23. Imò venit super illos sanguis filij DEI, quem per inauditum scelus effundere non dubitarunt, clamantes in historia passionis: Veniat sanguis eius  
super

*super nos, & super filios nostros, Math. 27.*

VIII. Iudæi tristi suo exemplo docent, eos, qui spiritu mendaciæ aguntur, ab eodem ad persecutiones pijs confessoribus inferendas incitari. Est enim diabolus, qui captiuos illos ducit, mendax & homicida, & tales quoque sunt, quos ille sibi mancipatos habet. Hi quando semel manus suas innoxio sanguine commaculant, subinde sitiunt sanguinem, nec eo exsatiari possunt. Sic Iohannes videt Romanam Babylonem ebriam de sanguine Sanctorum, de sanguine martyrum IESV, Apocal. 17. Idem hodie Turcica immanitas, aliorumq; hostium Euangelij crudelitas plus satis edocet.

IX. De inuidia Iudaicæ gentis, qua obstebant Apostolis, ne loquerentur gentibus. Quemadmodum & CHRISTO succensebant, quando videbatur iturus ad gentes. Iohan. 7. dicunt: Num in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? nimirum tales claudunt regnum cælorum ante homines, ipsi enim non intrant, nec aduententes sinunt intrare, Matth. 23. Hæc inuidia taxatur in parabola CHRISTI, Matth. 20. ubi qui primi vocati erant in vineam, indignissime ferebant, eandem mercedem, eundem

E dena-

denarium, quem accipiebant ipsi, dari quoque  
 nouissimis. Nos non inuideamus cuiquam e-  
 ternam suam beatitudinem, sed potius ad ex-  
 emplum angelorum laetemur vel super uno pec-  
 catore agente poenitentiam, Luc. 15. Quemad-  
 modum discipuli in Actis leguntur glorificasse  
 DEVM, quod & gentibus concessisset poeni-  
 tentiam ad vitam, Act. 11.

X. Monemur verbis Apostoli: Vt expleant  
 peccata sua semper: DEVM non statim poenis  
 suis obruere peccatores, sed multa cum lenita-  
 te largiri locum & tempus ad resipiscentiam,  
 Roma. 2. Vbi vero poenitentia nulla sequitur,  
 sed in proposito peccandi cor obfirmatur et ag-  
 gravatur: tunc tandem, completa peccatorum  
 mensura, DEVS iustam debitamque eis infli-  
 git poenam. Sic Gen. 15. de Amorrhais ait Do-  
 minus: Nondum impletas esse iniquitates il-  
 lorum, quapropter et excidium eorum differt:  
 cum vero post annos quadringentos demesum  
 suum compleuissent, τὸ ἀνολεσίπικτον & interitus  
 illorum est insecutus. Sic de Iudaeis Prophetarum  
 & iustorum occisoribus inquit Saluator:  
 Vos quoque implete mensuram patrum vestro-  
 rum. Quare, si quando astu diaboli circum-  
 uenti peccauimus, ne progrediamur in peccan-  
 di studio, sed seria ducti poenitentia resiliamus  
 ab im-

ab impietate, ne peccata peccatis accumulando nobis aggrauemus pœnas & thesaurizemus iram in die iræ, Rom. 2.

XI. Pœna, quæ manet impios verbi diuini hostes, vt & Epicureos & Hypocritas, non est temporalis duntaxat, sed insuper æterna. Venit enim ira super illos in finē, inquit Apostolus. Sic de omnibus nō credentibus enunciat Iohānes Baptista; Qui nō credit, nō videbit vitam, sed ira DEI manet super illum. Relegabuntur enim tales in ignem æternum, Matth. 25. vbi fumus tormenti eorum ascendit in secula seculorum, Apoc. 14. vbi vermis illorum non morietur, & ignis non extinguetur, Esa. 66. & Mar. 9. vbi quærent mortem, sed nō inuenient eam, desiderabunt mori, & mors fugiet ab illis, Apocal. 9. vbi pœnam luent interitum æternum à facie Domini, & à gloria fortitudinis eius, 2. Thess. 1.

## PARS TERTIA CAPITIS II.

EXCVSAT se Paulus Thessalonicensibus, quòd inde ab initio conuersionis illorum nō redierit Thessalonicam, ad visendū ibi statum ecclesie. Non. n. sibi defuisse voluntatē veniendi, sed astu Satanae iter illud suum fuisse impeditū et interuersum.

E 2 Cc

Cæterum nos fratres) *Pertinent hæc ad declarationem voluntatis. Ostendit autem se ad spacium temporis fuisse illis orbatum, quod quidem aspectum & conuersationem externam attinet: non autem corde, siquidem illos semper in corde suo habuerit, indefinenter eorum memor in precibus suis, ut cap. 1. dixerat.*

*Porro carentiam illam aspectus mutui, ait, in se magis magisque accendere desiderium reuisendi illos: ideoque planè se constituisse venire ad ipsos, idque semel atque iterum proposuisse firmiter, sed semper obiecta esse à diabolo sibi talia impedimenta, quibus ille malignus spiritus effecit, ut iter non procederet, nimirum metuens sibi suoque regno aliquod damnum illatum iri, si Paulo ex animi sententia succedat profectio.*

Nam quæ est spes nostra) *Rationem exponit, cur tanto flagret desiderio veniendi ad illos, quia, inquit, quæ est spes nostra? quasi dicat, ideo ego et læbenti animo & magno cum fructu vobis cõuersari cupio, quia optima quæque de vestra in fide constantia & pio erga me sincera dilectionis affectu spero, mihique polliceor; quin et gaudium nostrum estis, quando quidem amplissima nobis suppetit materia*  
gaur-

gaudendi de vobis, quòd ab idolis ad DEVM,  
 à superstitione maiorum ad Euangelij lucem,  
 à damnatione denique ad vitam & salutem  
 estis vocati. Estis verò & corona gloriatio-  
 nis nostræ. Etenim quòd DEVS nostræ apud  
 vos prædicationi benedixit, vosq; ad regnum  
 filij sui vocavit per Euangelium nostrum: id  
 verò serió triumphamus & palmarium nobis  
 ducimus, & hæc nobis corona incomparabili-  
 ter illustrior & gloriosior est, quàm si omnium  
 regum & præpotentum huius seculi coronæ  
 in vnũ comportentur. Ita namq; cum æterna  
 laude gloriari licebit, quòd nõ in vanum apud  
 vos ego cum collegis meis laborauerim, sed  
 fructu longè maximo & in omnem eternita-  
 tem duraturo. Idq; verissima cum laude glo-  
 riari licet in conspectu Domini nostri  
 IESV CHRISTI, quando apparebit in il-  
 lustri suo ad iudicium viuorum & mortuo-  
 rum reditu.

Quæritur hic: Num rectè faciat Apostolus,  
 quòd Thessalonicenses suam vocat spem, gaudi-  
 um et gloriam, cum tamen in solo DEO omnis  
 nostra spes, gaudium et gloriatio defixa esse de-  
 beat, secundum illud: Qui gloriatur, in Do-  
 mino gloriatur, Jerem. 9. 1. Corinth. 1. Et cum  
 ipsemet Paulus hoc capite affirmârit, se non

querere gloriã apud homines: quomodo velut oblitus sui nunc scribit: Coronam gloriationis suae esse Thessalonicenses? Sed expedita responsio est: In Domino solo spes, gaudium & gloriatio nostra debet esse fundata: Proinde, qui ex ambitione gloriam querit apud homines, ita ut sibi tribuat, si quid laudabiliter actũ est, cum soli DEO acceptũ ferre debuerit, eius irrita & inanis est gloriatio. Quare si quid apud auditores opera ministerioꝝ nostro subutariter efficitur, ita sanè gloriari fas est, ut hæc ipsa gloriatio non in nostra persona terminetur, sed ad suum principium referatur, DEVM. Quod Paulus exẽplo suo declarat 1. Cor. 15. Copiosius quàm illi omnes laboravi: sed addit: nõ tamen ego, sed gratia DEI, quæ mihi adest.

### LOCI COMMUNES.

I. Pastores ecclesie, etiam quando per negotium absunt à suo grege, nihilominus corde non sint ab eo auersi. Paulus testatur, se Athenis residentem orbatum esse Thessalonicẽsibus suis aspectu quidẽ, corde verò minimè. Et Romæ in vinculis agens in corde & vinculis suis habet Philippenses, Phil. 1. adeoꝝ curã agit omnium ecclesiarũ, 2. Cor. 11. Planè ut sacerdos siue Põifex super peccatũ suũ in rationali iudicij nomina  
filio-



*Aliorū Israēl portabat corā Domino, Exo. 28.*

II. *Eadem verba monent nos de conditione ecclesie in hoc seculo. Quāquam enim fideles, qui catholicam per orbem terrarum ecclesiam constituunt, disiunctissimis locis & regionibus dispersi sunt, corde tamē manent cōiuncti & spiritus unitate copulati, Ephes. 4. Quemadmodum de primitiua ecclesia Lucas memorat: Fuisse multitudinis credentium cor unum & animam unam. Est quippe una omnium in mundo fidelium ecclesia, unus grex, Iohan. 10. unus Christi & DEI populus, Ephes. 2. una & indiuisa communio Sanctorum, ut articulus symboli habet, hoc est, unum corpus & unus spiritus, una spes vocationis, unus Dominus & una fides, unum baptisma, unus DEVS & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus nobis, Ephes. 4.*

III. *Quod Paulus proposuit venire ad Thessalonicenses, nec tamen institutum suum tenere potuit: monet nos de eo, quod Salomon prouerbij loco annotauit Prouerb. 16. Cor hominis disponit viam suam, DEVS autem dirigit gressus eius. Idcirco quando statuimus alicquò proficisci, non sit temerarium nostrum propositum, quasi in nostra sit potestate arbi-*

E & triog

trioq̄ situm, sed ad DEI voluntatem unice respiciamus. Quemadmodum Paulus Roman. I. scribit: Orare se, si quo modo tandem aliquando prosperum iter contingat, volente DEO, ut veniat ad illos. Et I. Corint. 16. ait: Spero me tempus aliquantum commoraturum apud vos, si Dominus permiserit. Econtrareprehenditur illorum profana temeritas, qui, quasi suæ sint vitæ & actionum domini, proponunt hoc vel illud, nihil de DEO, vel ipsius voluntate aut successu cogitantes. Contra quos stylum suum stringit Iacobus: Age nunc qui dicitis: hodie & cras eamus in hanc civitatem, & faciamus ibi annum unum, & mercemur, & lucrum faciamus, qui ignoratis, quid futurum sit postero die. Quæ est enim vita vestra? vapor est enim, qui ad exiguum tempus apparet, & deinde evanescit; pro eo quod dicere debueritis: Si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciamus hoc aut illud, Iacob. 4.

IV. De indefesso studio & conatu Satana, qui huc velis remisq̄ contendit, ut piorum hominum sancta cogitata & proposita quoquo modo interuertat. Idq̄ facit maxime, cum intelligit, præcipuos ecclesiæ DEI doctores aliquid in utilitatem ecclesiæ vel meditari vel conari.

conari. Sic laborauit impedire profectiōnem  
 Apostoli: Sic in aula Persica instillabat regibus  
 Persarum, ne dimitterent populum Dei ex ca-  
 ptiuitate Babylonica, Dan. 10. Sic per Samari-  
 tanos, Arabes, Amonitas & Asdoditas sum-  
 mo conatu moliebatur impedire instauratio-  
 nem urbis & templi, Esdræ 4. & Nehem. 4.  
 Et in hoc ultimo seculo, cum Ecclesiæ è Romana  
 Babylone egressæ, unanimiter oppugnarent  
 regnum Pontificium: Diabolus ad impediē-  
 dum cursum doctrinæ Euangelicæ, Zuinglia-  
 nismum, ceυ μὴ λὸν ἐείδῃ os in medium conijcit,  
 vt in diuersa certamina distracti sani docto-  
 res & circa confutationem Sacramentariorum  
 occupati, postmodum eò infirmius & infæli-  
 cius aduersus regnum Antichristi depugna-  
 rent. Orandus igitur Dominus est, vt im-  
 probis Satane conatibus obsistat, eumq; sub pe-  
 des nostros citò conterat, Rom. 16.

V. Ministri verbi in suo ministerio præ-  
 cipuum suum gaudium & coronam gloriatio-  
 nis sinant esse, non opimas præbendas aut  
 splendida & luculenta salaria vel redditus an-  
 nuos, quos mercenarij spectare solent: sed re-  
 ctum Ecclesiæ suæ statum, obedientiam audi-  
 torum erga prædicatum verbum, & conuersa-  
 tionem illorum DEO & Euangelio dignam,  
 E s adeoq;

adeoq; gregis sibi cōmissi perpetuam beatitudinem. Quo nō aliud maius debet esse p̄is concionatoribus vel gaudiū, vel decus, ornamentum & gloria. Etenim quot homines opera ministrorum verbi in pietate edificantur & ad salutem erudiuntur: tot habebunt illi in nouissimo die testes officij summa fide diligentiaq; expleti. Quae ratione, neque pios auditores suorum concionatorum, neque concionatores suorum auditorum pudere poterit, sed sibi mutuo erunt ornamento futuri, assuerante Paulo 2. Corinth. 1. Gloria vestra sumus, quemadmodum & vos nostra in die Domini IESV.

VI. Proinde & auditores ita se componant, ut vita & moribus suis non ingemiscendi, sed gaudendi, gloriandiq; materiam praebeant fidei pastoribus. Secundum illud Heb. 13. Parete his, qui praesunt vobis & subiaceat illis: Siquidem ipsi vigilant pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri, ut cum gaudio hoc faciant & non gementes: hoc enim non expedit vobis.



CAPVT

## CAPVT TERTIVM.

**P** R I M A parte capitis exponit Aposto-  
 lus causam, ob quam ad illos Timo-  
 theum duxerit esse ablegandum. Deinde  
 cōmemorat, quomodo ex ipso Athenas  
 reuerso didicerit illorū intrepidam in  
 Euāgelio Iesu Christi constantiā, indeq;  
 mirificè sit recreatus. Tertiò, votum  
 subiūgit, de foelici successu suæ ad Thes-  
 salonicenses profectiois, de confirma-  
 tione illorum in bono, gratiæq; diuinæ  
 incremento & exuberantia.

P A R S P R I M A  
 CAPITIS III.

**P** A V L V S non obscure indicat, tam fuisse  
 ardens desiderium suum cognoscendi sta-  
 tum Ecclesie Thessalonitensium, ut amplius  
 quiescere non potuerit, donec quo in loco essent  
 res illorum, certus euaderet. Quare cum sic  
 ter ipsum & Syluanum & Timotheum con-  
 uenisset, ut Paulus quidem & Syluanus re-  
 siderent Athenis, impedito nimirum à Sa-  
 tana itinere suo, cōmisisse se opus illud visita-  
 tionis Ecclesie Thessalonicensium Timotheo,  
 quem & fratrem, ob affectum charitatis &

commis-

communione fidei, & simul ministerium DEI, ratione muneris: & adiutorem operis in Euangelio Christi nuncupat, ut his e-logijs ostendat, dignum illum esse & idoneum, cui legatio hæc quam rectissime commendari queat.

Ut confirmaret vos.) Finis legationis assignatur, qui est, ut Timotheus confirmet Thessalonicenses, ne se magnitudine aduersitatum & persecutionum à Christianismo deterreri sinant, ut porrò illos intus & foris tentatos & afflictos consoletur; idq; de fide nostra: quibus verbis materia consolationis exprimitur, exemplum videlicet fidei, quæ in Apostolo & collegis elucescat, cuius contemplatione & imitatione ipsi quoq; animos in aduersitatibus obfirmare discant, ne turbentur, neue succumbant afflictionibus his, quæ tum illis eueniebant.

Nam ipsi nostis, nos.) Argumentum consolationis subiicit à communi sorte piorum, maxime Apostolorum & Doctorum Ecclesie, qui de voluntate & consilio Dei in hoc positi sint, ut Euangelij causa persecutiones experiantur, suisq; martyrijs doctrinæ à se annunciatæ certitudinem assignent. Hanc conditionem Thessalonicensibus, ait, non esse ignotam  
idcoq;

ideoque ad ipsorum testimonium prouocat.

Etenim cum apud vos essemus.) Probat, non posse illos ignorare communionem hanc Christianorum sortem in hoc seculo, quandoquidem de illa fideliter & accurate pramoniti sint & edocti à Paulo ac socijs ipsius. Dicit ergo, cum essemus apud vos, prædicabamus vobis, futurum, vt afflictiones pateremur; neq; nos vanos fuisse vates, euentus ipse palam declarauit, nimirum ad vnguem euenisse ea, quæ ipsi nos, cum nobis, tum vobis prænucciauimus.

Quapropter & ego non amplius.) Repetitur hic causa legati oris Timothei, quæ est sollicitudo Pauli, qui multo rerum usu edoctus, probè nouerat, sæpè aliquos cæpisse benè, sed propter afflictiones & persecutiones durare in cursu fidei non potuisse, proinde ablegatum ad Thessalonicenses esse Timotheum, exploranda fidei illorum gratia, ne quo pacto tētaffet vos, ille qui tentat. Periphrasis hæc est diaboli, qui & Matthæi 4. hac de causa tentator appellatur. Est q; sententia: Quamquam optima quæque mihi de vestra pia constantia polliceor: tamen quia me haud fugit improbus & indefessus conatus diaboli: idcirco cupidissime

disimè desideravi certior fieri, nū adhuc in-  
regri & inconcussi persistatis in bono: an verò  
malignitate Satanae labefactata sit fides ve-  
stra, & labor noster (quo ad vos) inanis  
redditus.

### LOCI COMMUNES.

I. De pia cura ac sollicitudine pastorum  
de grege sibi commisso. Paulus quiescere  
non potest, donec resciscat, ecquis sit status  
Ecclesie Thessalonicensium. Et ad Corinthios  
E. Cor. II. scribit: Incumbit mihi cura omnium Eccle-  
siarum. Quis infirmatur, & ego non infir-  
mor? quis offenditur, & ego non uror? Quam  
in modum & reliqui pastores solliciti sint &  
excubias agant pro salute gregis, ne per incu-  
riam suā oviculae, CHRISTI sanguine redem-  
ptae, à pastore animarum suarum abalienen-  
tur.

II. De visitationibus Ecclesiarum, quae ma-  
ximoperè sunt necessariae. Vt cumq; rectè con-  
stitutae sunt Ecclesiae & ad exquisita disciplinae  
formam optimam traductae: tamen nunquam  
non incidunt vel in vita vel in doctrina, quae  
emendationem requirunt. Quamobrem inde  
ab initio sparsi in orbem terrarum Evangelij  
non tantum singulis Ecclesiis singuli praefecti  
sunt



sunt pastores, sed, quia hi nonnunquam in officio faciendo negligentiores sunt, aut certe non eius auctoritatis, ut mutare valeant, quae mutari oportet; ideo & episcopi constituti, qui vicinarum Ecclesiarum inspectionem sustineant, & ad illas certis temporibus excurrant, explorandi status illarum gratia, eumq; sicubi labefactus est, in integrum restituendi. Sic in Actis Apostoli Ecclesias à se plantatas per temporum intervalla visitarunt. Exemplum pulcherrimum extat Act. 14. ubi Paulus & Barnabas revertuntur Lystram, Iconium & Antiochiam Phrygiae, quibus in locis antea semen Evangelij sparserant, denuò confirmantes animas discipulorum & exhortantes, ut perseverarent in fide, siquidem per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum Dei. Atque hac est causa principalis, ob quas Apostoli subinde suum ad Ecclesias recens plantatas reditum pollicentur, velut 1. Corinth. 11. & 16. Phil. 1. Heb. 13.

III. Quòd Apostolus Paulus suo loco mittit Timotheum, cum ipse venire prohiberetur: id Romani Pontifices ineptissime trahunt ad suorum Apostolicorum nunciorum, ut eos appellitant, legationes, quando suos emittunt legatos à latere, longè alio fine, quam

quàm Paulus Timotheum, aut Tychicum ad Ecclesias orbis visitandas ablegavit. Etenim Paulus mittit Timotheum ad Thessalonicenses, ut is cognoscat fidem eorum, ut confirmet & consoletur eos. Et ad Ephes. 6. scribit: Misi Tychicum ad vos in hoc ipsum, ut cognoscere-  
tis de rebus nostris, & ipse consolaretur corda vestra. Similiter ad Coloss. 4. Misi Tychicum ad vos in hoc ipsum, ut cognoscat, quid agatis, & ut consolaretur corda vestra. E contra verò nuncij illi, falso dicti Apostolici & legati à latere, quos ad Cæsares, Reges, principes & magnates huius mundi emittunt Romani Pontifices, nihil omnium horum faciunt; Sed iungitur illis, ut odia præpotentum huius seculi accendant & inflamment aduersus sinceros Euangelicæ doctrinæ confessores; ut reges & principes inter se committant, ut ordinem & rectum statum Ecclesiarum, quæ à Romana sede piam secessionem fecerunt, vafri consilijs & molitionibus turbent & evertant. Et sunt isti nuncij siue legati faces & tubæ motuum in Rom. imperio & alibi flabella turbularum, incendiorum & persecutionum, qui ex instructione sua hoc vnum agunt, ut illa pestilentia cathedra & sedes nequitie Antichristiana sarta tecta maneat, ut ruina regni  
Ponti-

Pontificij instaurantur, ut Papistica idolomania vigeat, ut traditiones humanae accumularentur, ijsq; captiuentur & mancipentur hominum conscientia, adeoq; religio vera, quae circa vesperam huius mundi singulari & inenarrabili beneficio Dei refulsit, extinguatur & pessum eat. Idcirco nihil legatis Apostoli Pauli, Tychico & Timotheo, cum Pontificijs legatis commune est, sed inuersa, diuersa & aduersa simul omnia.

IV. Quod Paulus Timotheum dignitate atq; donis se multo inferiorem, nominat fratrem & coöperarium suum: modestiae exemplum praebet his, qui donis alios antecellunt, ne propterea sese supra illos superbe efferant, neve despiciant eos, sed meminerint, DEVM etiam per infirma organa suum in Ecclesia opus, adeoq; ex ore infantium & lactentium virtutem perficere posse, Psalm. 8. Qua in parte D. Paulus ab ingenio Papae longissime discrepat. Papa enim ceteros Episcopos non fratrum, sed seruorum habet loco: quin ne quidem Caesares aut Reges hoc fratrum titulo dignatur, sed, ut ipse summa paternitatis fastigio emineat, filios illos salutatur, seq; uniuersalem totius catholicae Ecclesiae Patrem vocitari sinit, in illo sublimi significato, quod

F

sola

*soli DEO competit, secundum illud Matth. 23. Patrem nolite vobis vocare in terra: unus enim est pater vester, qui in caelis est.*

V. *Quibus vel ministerium Ecclesiasticum, vel arduum aliquod opus conficiendum creditur, quod ad DEI gloriam & Ecclesie salutem prouehendam spectat: hi à probatis hominibus ornati esse debent honesta commendatione & testimonio bono. Quemadmodum certè legatum suum Timotheum Paulus Thessalonicensibus commendat, ut ministrum DEI, ut coöperarium in Euangelio CHRISTI, quò debitam illi auctoritatem conciliet. Quod ipsum facit allegatis supra locis de Tychico, quem scribit, esse fidum ministrum & conseruum in Domino, Ephes. 6. Col. 4.*

VI. *Docemur, aduersus imminentes afflictiones diligenter esse pramuniendos auditorum animos, ne ingruentibus aduersitatum procellis deficiant, & à Christianismo resiliant. Tela enim prauisa minus feriunt. Quamobrem & CHRISTVS discipulis suis edicit; venturum esse tempus, ut omnis generis persecuciones & afflictiones subeunda eis sint, idq; eò se predicere confirmat, ne offendantur, sed si eueniant predicta, reminiscantur*

niscantur eorum, quæ ipse dixerit eis, Iohan. 16. Planè ut & Paulus Thessalonicensibus eo consilio venturas afflictiones prænunciat, ut paratis animis illas subeant, & DEO auxiliante superent. Nam & Paulo ipsi, quàmprimum ad fidem & Apostolatum vocatur, ostenditur: quanta eum oporteat pati pro nomine Christi, Actor. 9. Et generalis est prædictio: Quicumq; vult meus esse discipulus, tollat crucem suam & sequatur me, Luc. 14. Ac rursum: Omnes, qui volunt piè viuere in Christo IESU, persecutionem patientur, 2. Tim. 3.

VII. Notanda periphrasis Satana, quòd nimirum est is, qui tentat, ut & Matthæi 4. cap. hac ipsa nota circumscribitur. Hic enim est, qui tentatione sua circumuenit & euer- tit Euam, Genes. 3. qui à primo illo humani generis exordio nihil agit aliud, quàm quòd omnes pererrat regiones, Iob. 1. & circum- dit ut leo rugiens, quærens quem deuoret, 1. Petr. 5. Hic est, qui in fraudem & dece- ptionem inducit homines, 1. Reg. 22. cap. quæ cribrat illos instar tritici, Luc. 22. & sedu- cit totum terrarum orbem, Apocalyp. 12. Ne igitur nos suis tentationibus euertat, oran- dum semper est: ne nos inducas in tentatio-

E 2 nem,

nem, Matth. 6. Luc. 11. Secundum illud Christi: *Vigilate & orate, ut ne intretis in tentationem*, Matth. 26. *Cauendum in super est à peccatis: assumenda tota armatura DEI, pugnandum contra illum gladio Spiritus*, Ephes. 6. *& resistendum ei fide*, 1. Petr. 5. *qua est impenetrabile illud scutum, quo possumus omnia iacula mali illius ignita extinguere*, Ephes. 6.

VIII. Monemur, haud rarò fieri, ut ministrorum Ecclesiae labor apud auditores cadat irritus. CHRISTVS ipse docet in parabola, quando seminatur semen verbi, solere diabolum illud auferre à cordibus eorum, qui iuxta viam seminati sunt, ut ex auditu verbi diuini non fructificent, Luc. 8. Quamquam autem fructus laboris ministrorum Euangelij sese non profert apud omnes: Semper tamen reperiuntur aliqui, qui verbum cum gaudio receptum in corde bono conseruant, & fructum in patientia ferunt. Quod Esaias similitudine pluuiae & niuis demonstrat & illustrat cap. 55. Caterum ne quidem respectu pereuntium fraudantur pij concionatores omni planè effectu sui laboris. Etenim si his annunciauerint voluntatem Domini, liberarunt ipsi animas suas, Ezech. 3. & 33. & hoc

& hoc efficiunt, ut impœnitentes in nouissimo die sint inexcusabiles. In testimonium enim illis prædicatur Euangelium, Matthæi 10. & 24. Marc. 6. & Luc. 9. Quamobrem & profundior eorum futura damnatio est, Matth. 11.

PARS SECUNDA  
CAPITIS III.

**H**AC parte secunda narratur, quid Timotheus, Athenas ad Paulum & Sybuanum reuersus, de statu Thessalonicensium commemorarit, quomodoq; ex ea relatione Paulus incredibili voluptate sit perfusus.

Nuper autem cum. ) Prosperũ & exoptatũ notat successum & euentũ legationis credite Timotheo. Proinde emphaticõs utitur vocabulo εὐαγγελιστὰ μέν, indicãs, Timotheum verè apportasse Euangelium siue nuncium auditu supra modum omnem iucundum. Sensus est: Postquam Timotheus à vobis ad nos redijt, mirificè prædicauit vestram fidem & dilectionem, quòd immoti stetis in fide erga Deũ & integri in charitate erga proximum. Sed & tertium nobis recensuit, idem gratum & acceptum, videlicet, quòd nostri memoriam bonam ac honestam grata mente conseruetis,

uetis, unde de vestro in nos affectu iudicium  
facere licet, qui tātus est, ut nunquam non  
desideretis nos videre, quem admodū &  
nos vicissim vos, quod nobis ceu Symbolum  
& argumentum est, nec Satanam nec conciuēs  
• vestros, nec afflictiones, quas perpepsi estis, nec  
Pseudoapostolos, potuisse animos vestros labe-  
factare, & à nobis Euangelioq; nostro abatie-  
nare.

Idcirco consolationem accipimus.) Et  
hactenus quidem τῆς πρώτης secūda partis: se-  
quitur ἀπὸ δευτέρας: idcirco consolationem acci-  
pimus ex ipso. Cōsolatio presupponit aut animi  
solicitudinem, aut afflictionem, aut utrumq;  
simul. Paulus anxius fuerat de illorum statu:  
nunc ipsorū in fide incolumitatem cognoscens,  
respirat ex ea solitudine & angustia. Præter-  
ea conflictabatur indies cum tribulationibus  
multis, quibus & à Satana & mundo propter  
Euangelium Thessalonicensibus, alijsq; gentibus  
predicatum discruciabatur. Nunc cognoscens,  
quanto cum fructu & edificatione nobilissima  
per Græciam Ecclesie fuisset hæc sua afflictiones  
coniunctæ, discutitur omnis ille dolor & affli-  
ctionū sensus hebetatur, quin in cōsolationem,  
letitiā gaudiumq; conuertitur. Idq; per fidem  
vestram, inquit, nimirum, materiā exprimes  
gau-



gaudij sui, quae est fides Thessalonicensiu, tato-  
pore à Timotheo collaudata, quae Paulo tantis  
gaudij, tripudij & triūphi seges uberrima erat.

Quoniam nunc viuimus.) Pertinent  
haec ad amplificandam magnitudinem letitiae,  
quod ad significationem illam Timothei velut  
ex morte reuixerit. Viuimus, inquit, hoc est,  
valemus quam rectissimè, quando vos sta-  
tis in Domino, & aduersus omnè impetum  
satanæ & mūdi persistitis in inchoata fide, cha-  
ritate, & reliquis ad Christianismi rationes  
pertinētib<sup>9</sup> virtutib<sup>9</sup>, officijs operibusq<sup>3</sup> bonis.

Quam enim gratiarum actionem.)  
Gaudium ex Timothei relatione conceptum  
ostendit tantum, tamq<sup>3</sup> effusum, vt continere  
illud intra pectoris claustra nequeat, quin e-  
rumpat in solennem gratiarum actionem er-  
ga DEVM, qui Spiritu suo illos in bono cle-  
menter adeò conseruārit & roborārit. Id  
verò proponit oratione, interrogationis sche-  
mate figurata: Estq<sup>3</sup> sensus hic: Non possum  
ego DEO & patri Domini nostri Iesu Christi  
gratiarum actionem rependere tam diuino  
beneficio satis dignam & huic gaudio meo  
satis congruam, quo gaudemus de vobis  
vestraq<sup>3</sup> in Domino salute & incolumitate,  
idq<sup>3</sup> coram Deo in cōspectu ipsius, quoties ei

*pia vota solvimus in precibus nostris, quibus supra modum ardentissime precamur die ac nocte, ut idem ille DEVS ad cumulum letitiæ hoc quoque adiciat, quò contingat nobis videre faciem vestram, & sic ubi forte quid vestrum aliquid desit in fide & cognitione DEI: id uberiore institutione nostra supplere liceat.*

### LOCI COMMUNES.

I. *De commissis legationibus fideliter ac diligenter obeundis. Prouerb. 15. legitur: Vt aqua frigida animæ sitienti: Sic nuncius bonus in terra longinqua. Exemplum in Ecclesiasticis negotijs est Timotheus: In Oeconomicis Eleasarus præfectus Abrahæ, Gen. 24. Atque hoc sanè, quod Solomon dicto prouerbio subindicat, vel imprimis verum esse cogitemus de salutaribus illis nuncijs euangelizantibus bona, annunciantibus pacem & dicentibus Sion: Regnabit rex tuus; quorum speciosos esse pedes Propheta Esaias ex Spiritu sancto pronunciat, cap. 52.*

II. *Sunt inter cætera, quæ ad benè constitutæ Ecclesiæ statum requiruntur, hæc nequaquam postrema, sed omnium prima, si nimirum inter auditores vigeant & regnent fides & dilectio.*

dilectio. In his namq; duobus vertitur magnū illud preceptum DEI I. Ioh. 3. descriptum: *Ut credamus nomini filij eius Iesu Christi, & ut diligamus nos inuicem.* Quandoquidem in Christo Iesu nihil valet, praterquam fides, quæ est per dilectionē efficax, Gal. 5. Ita fides comprehendit notitiam DEI, & verbo promissionis fiducialiter innitens agit cum DEO, hominemq; iustificat. Charitas complectitur nouam obedientiam, quæ sequitur iustificatum & ex fide vera promanat, eamq; vicissim indubitatis fructibus spiritus & iustitiæ testatam reddit, Iacob. 2.

III. Fidorum ecclesie ministrorum memoriam pij auditores non abijciant, sed grata cum recordatione illibatam semper cōseruent; idq; exemplo Thessalonicensium, qui Pauli, Syluani & Timothei, doctorum suorum, memoriam conseruabant bonam semper. Hoc est, quod Hebr. 13. legitur: *Memores estote eorum, qui presunt vobis, qui locuti sunt vobis sermonem DEI, quorum imitemini fidem, considerantes, qui fuerint exitus conuersationis illorum.*

IV. Quod Thessalonicenses desiderant videre Paulum & Syluanum, & hi vicissim illos: docemur hinc, sanctos nec Stoicos esse, neq;

F s mona.

monachos, qui non afficiantur mutua conversatione: Sed potius delectari maximopere mutuis congressibus, quibus CHRISTVS ipse medium sese infert, Matth. 18. usq; cœlitus benedicit, ut absque fructu non solvantur, Roman. 1. & 15. Qui congressus piorum sunt ceu tenuia quadam initia dulcissima illius consociationis electorum & fidelium in vita beata, ubi & DEVM & CHRISTVM, & electos angelos atque homines aspicient in letitia & gaudio nullis unquam seculis intermorituro. Merito igitur improbatur monachorum hypocrisis, qui ita se ex hominum cœtibus subducunt, & in suos nidos abduunt, ut contra DEI præceptum ne quidem charissimos parentes in conspectum amplius admittant. Quæ solitudo plurimorum eis malorum origo, & Satanae balneum, & quoniam in monachatu fiduciam salutis collocabant, horribilis idolomania, perpetuaq; damnationis fons & causa extitit.

V. Quemadmodum Paulus anxius erat, si quando dubitabat de prospero ecclesiarum statu, & urebatur, cum offendicula nascebantur, 2. Corin. 11. Sic consolationem percipiebat amplissimam, cum intelligeret, florere ecclesias, & sermonem Domini currere & glorificari; exem-

exemplum nimirum præbens et typum gerens  
 pijs pastoris, qui tristari debet super offendiculis  
 suorum: letari vicissim, quando cernit suum a-  
 pud auditores laborem nõ esse irritum aut in-  
 anem in Domino. Sicut pastor bonus letatur  
 super reperta ouicula, Luc. 15. Et Christus ipse  
 exultat spiritu, cum discipuli ei de felici succes-  
 su prædicationis Euangelij referunt, Luc. 10.

VI. Soli Deo acceptum ferant ministri seu  
 cõcionatores, quicquid auditores in fide pieta-  
 teq; proficiunt. Hac namq; de causa Paulus Deo  
 gratias agit pro cõstantia Thessalonicensium, &  
 ut illos porro confirmet, precatur. Etenim is,  
 qui plantat, nihil est, neq; qui rigat, sed qui dat  
 incrementum, DEVS, I. Cor. 3.

VII. Fides in hoc seculo nunquam ita per-  
 fecta est, quin subinde cõfirmatione et supple-  
 mento indigeat. Ideoq; Paulus supplere gestit  
 id, quod fidei Thessalonicensium deest, cum qui-  
 dem antea nomine fidei summis illos laudibus  
 extulisset. Proinde hoc agamus, ut quod deest  
 nobis fidei, id attentione verbi diuini, usu Sa-  
 cramentorum, pijs ad Deum votis atq; precibus,  
 alijsq; Christiana pietatis exercitijs et admini-  
 culis suppleatur, & fides nostra fulciatur, robo-  
 retur, augeat, et ad finem usq; cõseruetur, nosq;  
 finem fidei, qui est salus animarum, apprehēda-  
 mus, I. Pet. 1.

PARS

PARS TERTIA  
CAPITIS III.

**I**PSE VERO DEVS) *Votum subiungit Apostolus pro impetranda à DEO felici profectioe ad Thessalonicenses & horũ quotidiano progressu in studio pietatis & noua obedientia. Ipse vero ille DEVS, qui per & propter Christum est et dicitur pater noster, quippe paternè erga nos affectus: nec non filius eius Iesus Christus, Dominus noster, qui nos redemit, dirigat viam nostram ad vos, remotis obstaculis, quæ à Satana huc usq; obiecta nobis sunt, vel porro etiam nobis obijci possent. Atque hoc sanè primum est voti Apostolici membrum.*

Vos autem Dominus) *Secundũ membrum est, quod precatur Thessalonicensibus exuberantiam & abundantiam seu augmenta fraternæ charitatis, qua & illi sese mutuò, & alios quoque Christianos complectantur. Porro vt stimulum addat, exemplum suum ante oculos eis statuit, quod imitari, & suam charitatem ad id ceu regulam & armissim conformare debeant, vt vera sit minimeq; simulata dilectio.*

Vt confirmet corda vestra) *Tertium membrum voti, quo optat illis, vt cælitus confirmen-*

*firmentur in fide, qua purificati cordibus suis inueniantur irreprehensibiles in sanctimonia: non sanè, quòd sanctificatio in hoc seculo possit omnibus planè modis atq; numeris esse perfecta: sed irreprehensibiles sunt p̄j, quando sine hypocrisi DEO sua obsequia præstant, qua licet manca sint: illorum tamè imperfectio non imputatur fidelibus, sed Christi sanguine tegitur, & quod deest suppletur, & pensatur obedientia Seruatoris Christi, pro nobis legi voluntatiq; DEI patris exoluta. Sanctimonia autem voce comprehendit vniuersum chorum Christianarum virtutum, adeoq; totum huiusce nouæ obedientiæ curriculum. In hac sanctimonia vult exerceri & proficere Thessalonicenses, in eaq; coram DEO & patre nostro ambulare. Idq; nō ad tempus duntaxat, sed perpetuo quodā tenore ad aduentum vsq; gloriosum Domini nostri Iesu Christi, quando stipatus omnium sanctorum exercitu ad iudicium veniet viuorū & mortuorum.*

### LOCI COMMVNES.

I. *Vorum Apostoli, de dirigenda via sua, docet nos, quantumuis homo naturali quadam facultate in itineribus faciendis regere potest loco-*

Iob. 10.

locomotiuam, & iter aliquod vel suscipere vel intermittere: DEVM tamē, in quo sumus, vivimus et mouemur, Act. 17. illud infinitis modis posse interpellare: siquidem & vita nostra in ipsius manu est, nedum profectioes, & de loco in locum progressiones. Adhac si maximè homini suum in externis hisce arbitrium relinquat Dominus, ut de loco uno in alium progrediatur; tamen, ut iter illud sit fœlix ac secundum, id rursum à DEI voluntate atque nutu dependet. Quamobrem sancti prosperum iter precantur & sibi & alijs à DEO, Genes. 24. et 28. Tob. 5. Et in catalogo benedictionum DEI numeratur & hæc, quando benedicit egressui & ingressui nostro, Deut. 28. secundum illud Psalmi 121. Dominus custodiat introitum & exitum tuum ex hoc nunc & usq; in seculum.

II. Notandum est, Deum Patrem ab Apostolo nominari patrē nostrum. Hoc tantum beneficium acceptū feramus æterno filio Dei, qui frater noster factus, Heb. 2. suum patrem nobis etiam patrem clementem reddidit, quemadmodum ait Mariæ Magdalena Ioh. 20. Vade et dic fratribus meis, ascēdo ad patrem meum et patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum: Nosq; orare iussit in formula precationis

nis



nis: Pater noster, Matth. 6. & Luc. 11. & per spiritum suum clamare docet nos, Abba pater, Rom. 8. Gal. 4.

III. Est quoque testimonium Deitatis Christi obseruandum, quod is adiungitur DEO patri in tali opere, quod diuinæ maiestati competit. Etenim prosperitatem via & itinerum à DEO petendā esse vel hinc patet, quod ipse solus in manu sua habet omnes vias nostras & dirigit gressus nostros, Prou. 16. et 20. Et dānatur ut tetra idolomania, quod ethnici à dijs commentitijs suis prosperitatem itinerum votis irritis efflagitabant, Sap. 13.

IV. Docemur, charitatem in nobis nō debere minui, sed indies augeri: Frequentes existant hac de re cōmonefactiones Apostolorum, monentium, ut charitas sit nō simulata, Rom. 12. ut præ ceteris donis sectemur charitatem, 1. Corinth. 13. ut super omnia induamus charitatem, Col. 3. ut charitatem inter nos vehementem habeamus, 1. Petri 4. ut quæ nos diligamus inuicē, non verbo, neque lingua, sed opere et veritate, 1. Ioh. 3. Quæ admonitio summoperè necessaria est hac vltima ætate, ubi, quæ admodum Christus prædixit, inualefcete iniquitate refrigescit charitas multorum, Matth. 24.

V. Concionatores verbi tum demum cum  
fructu

fructu suos auditores ad piè viuendum exhortabuntur, cum ipsi bono & laudabili exemplo antecesserint. Paulus & hoc loco, & multis alijs non tam pia commonefactione, quam proposito exemplo suo exuscitat Christianos ad pietatem, charitatem, ceteraque virtutes & officia, operaque bona sectanda, 1. Corinth. II. Ideoque Spiritus Sanctus tam accurato studio monet pastores, vt sint typus fidelium, 1. Tim. 4. forma bonorum operum, Tit. 2. adeoque exemplaria gregis, 1. Pet. 5.

VI. Cum magna sit etiam in renatis imbecillitas carnis & infinita sint insidia diabolici, vt & mundi huius illecebræ, subinde opus est nobis confirmatione in bono. Confirmatione autem, non Pontificia illa, quæ constet ineptijs partim ridiculis, partim in Christi meritum palam blasphemis: Sed eâ confirmatione, quam per Verbum & Sacramenta operatur in nobis spiritus DEI, quo sumus vncti in baptismo & ob signati in diem redemptionis, Ephes. 4. iuxta illud 2. Cor. 1. Qui confirmat nos vnâ vobiscum in Christum, & qui vnxit nos, DEVS est, qui etiam ob signauit nos, deditque arrham spiritus in cordibus nostris.

VII. De sanctimonia, cui operam dare tenentur omnes, qui inuocant nomen Christi.

Hæc

Hæc porrò nō sit piēta & fiēta, ut solet esse hy-  
 pocritarum, qui tantum corā hominibus laruā  
 quadam pietatis et sanctitatis sese venditant,  
 cum intus in cordibus suis pleni sint omnis ge-  
 neris peccatis, similes dealbatis sepulchris, quæ  
 cum forinsecus speciosè adornata sint, nihilo-  
 minus intus scatent vermibus, omniq; spurci-  
 tie, Matth. 23. Luc. 11. Paulus sanctimoniam  
 à nobis requirit veram, ut sancti simus co-  
 ram DEO & Domino Iesu Christo, in cuius  
 conspectu ambulemus ac viuamus sobriè &  
 iuste & piè in præsentī seculo, Tit. 2. seruien-  
 tes ei in iustitia & sanctitate vera, Luca 1. &  
 offerentes ei in sancto ornatu, Psal. 29. & 110:  
 quemadmodum scriptum est: Sicut is, qui vos  
 vocauit, sanctus est: ita & vos in omni con-  
 uersatione sancti reddamini, propterea quod  
 scriptum est: Sancti estote, nam & ego sanctus  
 sum, 1. Petri 1. Quapropter colamus sancti-  
 moniam, sine qua nemo videbit DEVM, He-  
 bra. 12. Et mūdēmus nos ipsos ab omni iniqui-  
 namento carnis et spiritus, perficientes sancti-  
 moniam cum timore DEI, 2. Cor. 7. Ad quam  
 alendam non leue nobis argumentum esto, me-  
 ditatio aduentus Domini, cuius meminit A-  
 p. stolus: ut retinentes fidem & bonam con-  
 scientiam, in aduentu ipsius fiduciam habea-  
 mus,

*mus, 1. Ioh. 2. & leti attollamus capita nostra,  
Luc. 21. & aggregemur innumerabilibus san-  
ctis eius, qui & ipsi mundum iudicabunt, 1.  
Cor. 6. approbaturi sententiam æterni iudicis  
super vivos & mortuos.*

### CAPVT QVARTVM.

**P**PRIMA pars huius capituli tota est *πα-  
ραινέσεων*, constans adhortatione &  
dehortatione. Hortatur enim ad sancti-  
ficationem; & dehortatur à contrarijs  
vitijs & peccatis. Secunda pars conso-  
latoria est. Docet enim Apostolus The-  
salonicenses, non esse immoderato lu-  
ctu deflendos amicos, hac terrena vita  
functos, petito consolationis argumen-  
to ex articulo resurrectionis mortuo-  
rum ad vitam æternam.

Quod superest igitur, fratres) *Solito  
more fratres nominat, ob eiusdem fidei profes-  
sionē & suum erga illos beneuolum affectum.  
Porro cum mandandi auctoritatē habeat Pau-  
lus tanquam Apostolus Christi: rogat tamē &  
adhortatur, idēq; per Dominū Iesum, ut  
ad uberiorē profectū pietatis indies elaborent.*

Quemadmodum accepistis à nobis)  
*Admonet de regulis vitæ antehac præscriptis,  
quomo-*

quomodo nimirum versari oporteat, ut DEO  
sua obsequia probare queant. Neg, enim ipsos  
iam oblitos esse preceptorum, quæ dederit eis.  
Iis præceptis auctoritatem inde conciliat, quod  
illa nõ humanitus profecta, sed per Dominũ  
IESVM eis tradita confirmat, cui, si Christia-  
ni esse velint, obsecundare necesse habeant.

Hæc enim est voluntas eius) Ad DE-  
VM ipsum auctorẽ illorum preceptorum ani-  
mos Thessalonicensium attollit, & argumento  
ex fonte honestatis hausto contendit, sanctè  
vivendum esse, ni voluntati ipsius DEI palam  
oblitari velint. Etenim hanc esse volunta-  
tem DEI sanctificationẽ illorum, hoc est,  
ut ductum Spiritus S. obedienter secuti vitam  
agant sanctam, castam, integram, & Christia-  
næ professioni congruentem.

Vt abstinere à scortatione) Dehorta-  
tur à contrarijs vitijs, quæ sanctificationi re-  
pugnant. Exempli causa meminit quorũdam  
explicitè, quæ sexto & septimo præceptis ad-  
versantur, velut scortationis, quod flagitium  
cum sanctificatione pugnat è diametro, ani-  
mã simul et corpus hominis infestans & horri-  
biliter coram DEO polluens & contaminans.  
Ab hac vult abstineri, idq, ex præscripto divi-  
næ voluntatis, cui parere modis omnibus ho-

nestum atq; tutum, resistere autem nefarium  
& periculosum est.

Et sciat vnusquisq; vestrũm ) Contentione oppositorum negotium simul illustrat & sermonem acuit : indicans, par esse, vt omiſſa scortatione meminerint suum quisque vas possidere cum sanctificatione & honore. Vas appellat corpus Christiani hominis, non tam ob fragilitatem, sumpta similitudine à vasis fictilibus, quàm quòd corpora fidelium sunt vasa gratia, Rom. 9. gloria, 2. Tim. 2. vasa in usum sanctificata Domino, vasa & templa Spiritus S. 1. Cor. 3. 2. Cor. 6. Quin et organa eius ac instrumenta in edendis actionibus & operibus bonis, Roman. 6. Vult igitur, vt suum quisq; corpus in sanctificatione castitatẽque purum & impollutum conseruet. Addit verò, in honore: Siquidem, vt corpus hominis turpissime defædatur impura libidine, & in vas ignominie conuertitur: sic castitas è conuerso & sanctimonia summum illius decus, honos & ornamentum est coram DEO, angelis & hominibus.

Non cum affectu concupiscentiæ )  
Rurſus cum sanctificatione cõtendit affectum concupiscentiæ. In Græco nominatur, τὰ ὀσφύρια, & notatur indomitus ille morbus  
animi

animi & effrenata libidinis intemperies atq; furor, quo homo ruptis omnis pudicitia & honestatis repagulis, proiecto timore DEI, & excusso rectore Spiritu S. caeca & effusa cupiditate ruit in peccatum scortationis, aliq; horrenda scelera flagitiaq; sexto præcepto decalogi seueriter interdicta.

Quemadmodū & gentes ) Argumentum intermiscet à dignitate professionis illorum, hoc sensu: Vos non estis gentiles amplius, sed Christiani. Decet ergò nō scortari aut frænum laxare cupiditatibus carnis, more profanarū gentium, sed ductu Spiritus S. cupiditates illas refrænare, mortificare & crucifigere. Et quidē quod attinet gentes, nō ita magnopere mirum est, quòd suo feruntur impetu, et suis sese volutant fædis cōcupiscentijs: quia nec noverunt nec reuerentur verum DEVM, flagitiorū vindicem & ultorem: Vos autem Christiani estis & gloriamini de notitia DEI & Christi, cui nomen dedistis in sacro Baptismi fædere. Abstinetes igitur ab ijs, quæ DEO & Seruatori vestro scitis esse aduersa & inimica.

Ne quis opprimat ac fraudet ) Cum peccatis sexto præcepto vetitis connectit duo alia, quæ præcepto septimo prohibentur, & non minus atque priora cum sanctificatione velut

adversa fronte pugnant. Prius est violenta oppressio proximi, quando quis ditior vel potentior hoc agit, ut tenuioris fortuna homines violenter opprimat, & ex illorum incommodo suum paret commodum. Alterum est fraudatio, cum quis per fraudes & imposturas inhiat bonis, facultatibus aut pecunijs proximi sui, idq; in negotio quocunque, siue sit contractus emptionis ac venditionis, siue permutatio rerum, siue mutuum siue commodatio, siue conductio & locatio, siue societatis contractus. Ceterum, inest argumentum in vocabulo fratris, hoc sensu: Indignum prorsus est societate Christiana, si frater fratrem, hoc est, Christianus Christianum, professionis communione sibi coniunctum, vel premat vel fraudet, quemadmodum 1. Corinth. 6. Paulus huiusce peccati indignitatem hoc ipso epitheto exaggerat, inquiens: Vos iniuriam facitis, & damno afficitis, idq; fratres.

Propterea, quod ultor est) Aliud argumentum annectit, quod non tantum ad oppressionem violentam & fraudationem, sed insuper ad reliqua prius enumerata scelera refertur, & ducitur ex loco ab inutili, videlicet, a pœnis, quandoquidem Dominus non sit ociosus ubi



*sus illorum spectator, sed seuerus index atque vindex de omnibus his modò cōmemoratis. Nisi ergò malint experiri vindictam omnipotentis DEI, in cuius manus incidere horribile est, caueant sibi, ne talia designent.*

*Quemadmodum & antè diximus vobis) Pœnas illas ominatur fore atrociores, quòd ipsi non possint pratexere vllam ignorantiam, sicuti gentes, quæ adhuc suæ cecitatis tenebris immersæ sunt. Vos ex nostra prædicatione & attestatione pridem addidicistis, DEO hæc esse prorsus inuisa, exosa & abominanda.*

*Non enim vocauit vos) Alio rursus argumento pugnat Apostolus, quod ex sede honesti sumitur, à sine vocationis factæ per Euangelium. DEVS non vocauit vos ad immunditiam, ut scortationi, ut passionibus concupiscentiæ, ut iniustitiæ, ut oppressioni aliorum, ut dolis & imposturis operam detis: sed ad sanctificationem, quæ longè gloriosissimus est finis eius, quæ vocati estis, vocationis.*

*Proinde, qui reijcit, non) Condensat Paulus instituti sui rationes & argumenta, & iam ab authoritate præcipientis & prohiben-*

is DEI percellere conatur animos Thessalonicensium, ne tam sanctas & salutare admonitiones spernant, velut ab homine profectas, sed recorderentur, quod quicumque illas reiecerit, is non homines aspernetur monitores, sed DEVM ipsum, qui Spiritum Sanctum suum posuit in vos, inquit Apostolus, per institutum scilicet apud vos ministerium, quo spiritu impulsore & authore talia scribimus, docemus & exhortamur.

Cæterum de fraterna charitate) Generalem doctrinam de charitate colenda subiicit, ut quæcuncta negotia & contractus ita moderatur, ut qui ductum eius sequuntur, nec in voluntatem DEI impingant, nec proximum quoquo modo circumuenire satagant. Hanc admonitionem suauiore reddit, aspergens illorum veras laudes. Scribit enim, non magnoperè eis esse opus, ut de fraterna charitate commonesiant. Affirmati huius rationem apponit hanc, quia diuinitus sint edocti, ut diligant se inuicem, eò quod Spiritus Sanctus, quem per prædicationem Euangelij acceperant, flammam illam mutue dilectionis in eorum animis accenderit, & agat eos ad opera dilectionis sedulo præstanda.

Nam

Nam & facitis, inquit: Nimirum sic edoctos illos in hac parte Christianismi perhibet, ut factis exprimant & operibus charitatis testatum reddant id, quod Domini spiritus pridem in illis operatus est. Charitatem enim illos exercere erga omnes fratres, seu Christianos, qui sunt in tota Macedonia, quibus cum ullus eis intercedat usus aut notitia. Nam de charitate hic agit, non communi illa, quae debetur etiam extraneis (id est, qui non sunt nostrae religionis) sed de fraterna, quae socijs ac domesticis fidei pendenda est.

Obsecramus autem vos, fratres.) Paulus ita collaudat Thessalonicenses, quod dilectionem fraternam colant, ut nihilominus calcar exhortationis subdat, ne in charitate languescant, sed potius magis magisque abundant. Et quia per πολυτρογονου vnu multum peccari solet contra Christianam dilectionem: ideoque ommissa rerum alienarum cura vult illos quietos esse, ne scilicet sese immisceant seu ingerant rebus alienis. Neque tamen vult eos esse per omnia ociosos. Ita namque quieti dent operam, ut ab alienis quidem rebus sibi temperent, ad se quae nihil attinent: interim res proprias agant, ad suam cuiusque vocatio-

G S nem

*nem pertinentes, & proprijs manibus operando victum sibi parent, quò sese honestè gerere valeant erga extraneos etiam in quacungq; tandem re siue negotio, & operam dent, ut ex labore manuum habentes necessarium victum, eâ fruantur αὐτὰρ αὐτοῖς, ut nullare eis sit opus, hoc est, ne cogantur alijs absq; causa esse oneri, cum ipsimet laborando conquirere valeant, qua ad vitæ huius usuram & sustentationem spectent.*

### LOCI COMMUNES.

I. De modo, quo auditores non omninò stupidi aut obstinati ad faciendum officium quam commodissimè excitari queât, videlicet, si pastores orent illos, obsecrent, admoneant & argumentis potius, ex verbo DEI petitis, exhortentur, quam sævis obiurgationibus odiosè obiurgent. Hunc morem servat Paulus. Rogat hic, & adhortatur per Dominum Iesum: obsecrat & obtestatur, ut dignè ambulent Deo, 1. Thes. 2. Non cessat cum lachrymis monere unumquemq;, Act. 20. quin obsecrat per miserationes DEI, Rom. 12. hortatur, ut ambulēt ita, ut dignum est vocatione, qua vocati sunt, Eph. 4. Et hanc gratam & iucundam rationem exhortandi prescribit etiam Timotheo, 1. Tim. 5.

II. Mo-

II. *Monentur etiam concionatores, ut auditoribus suis in memoriam diligenter reuocent, quae iam antè ex Domini verbo audierint, siue doctrinae capita, siue vitae instituenda praecepta. Haec namque repetitio praestabit, ut constantem DEI voluntatem hinc agnoscentes maiore cum obedientia se illi submittant. Sic Moses, quae sparsim in prioribus libris ad populum suum promulgauerat, ea in Deuteronomio repetit, & identidem inculcat, ut mentibus suorum hominum penitus insingat & ad obsequendum incitet: inobedientibus autem omnem coram Deo excusationem adimat.*

III. *De voluntate DEI, quam verbo suo nobis aperuit, tum quid à nobis credi, tum quid fieri velit, Ioh. 6. Haec est voluntas Dei, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Et hic: Haec est voluntas DEI, sanctificatio vestra. Ergo & formanda fidei & instituenda vitae regula sit, non bona nostra intentio, quae praesumamus ipsi, aut dicemus alijs, ex arbitrio nostro, quid in negotio salutis credendum sit, quemadmodum Pontifex Romanus importune factitat: Aut regulas procudamus, iuxta quas viuendum nobis esse putemus,*  
*sicut*

sicut Monachi iuxta regulas humanitùs excogitatas vitam monasticam instituerunt: Sed utriusq; rectè componenda norma & forma esto voluntas Dei. Is vult nos in Christum Iesum sincerè credere, & ex præscripto suo piè sanctèq; viuere. Neque enim omnis, qui dicet in nouissimo die: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui fecerit voluntatem patris, qui in cælis est, Matth. 7. Probeamus igitur, quæ sit voluntas DEI, Roman. 12. probeamus, inquam, quid sit acceptum Domino, Ephes. 5. & quod nobis superest in carne tempus, id porro non concupiscentijs hominum, sed voluntati DEI viuere meminerimus, 1. Petr. 4.

IV. De scortatione fugienda: hoc flagitium sic inualuerat apud gentes, ut propè non reputaretur pro peccato. Quamobrem Apostoli in extirpando ethnicismo maximè omnium necesse habebant Christianos nuper ex gentilismo conuersos, à scortatione dehortari. Ideoq; expressam eius mentionem faciunt in epistola Synodica, Actor. 15. ad Ecclesias gentium data, præcipientes eis, ut abstineant ab idolothytis, à sanguine & suffocato & à scortatione. Erant quippe gentes penitus immerse cæno fœdissimi huius flagitij, imò in mentem reprobam

probam sic erant tradita, ut etiam contra u-  
 sum naturæ nefandas libidines exercerent,  
 Rom. 1. & dediderāt se omni lasciuia ad patrā-  
 dam omnem immunditiam cum auuiditate,  
 Ephes. 4. Quæ secretò fiunt, inquit Apostolus,  
 ab istis, ea turpe est vel dicere, Eph. 5. Nos ve-  
 rò Christianos non decet ambulare, sicut gen-  
 tes, qui DEVM non nouerunt. Quin scorta-  
 tione nominari quidem debebat inter nos, ut  
 decet sanctos, Ephes. 5. Et DEVS ipse in lege  
 sanxerat; Ne sit scortator in Israël & ne sit  
 scortum ex filiabus Israël, Deut. 23. Iam ipsa  
 dignitas, qua DEVS nos cohonestat, ab hoc  
 tetra scelere nos auocare meritò debebat. Su-  
 mus enim vasa gratiæ & misericordiæ Dei:  
 Sumus vasa preparata in gloriam DEI, Rom.  
 9. quis ergò furor, semetipsum in vas iræ &  
 ignominia conuertere? Sunt corpora nostra  
 templa inhabitantis in nobis Spiritus san-  
 cti, 1. Cor. 6. Qui verò templum Dei propaha-  
 nat, hunc perdet DEVS, 1. Cor. 3. Sunt mem-  
 bra nostra membra Christi: num igitur tol-  
 lens membra Christi faciamus scorti membra,  
 1. Cor. 6. Fugiamus ergò scortationem, præser-  
 tum cum propter hoc & cor similia peccata ve-  
 nire soleat ira DEI in filios inobedientes, E-  
 phes. 5. siquidem scortatores & adulteros iudi-  
 cabit

cabit Deus, Hebr. 13. quemadmodum iudicia sua cœlitus ostendit & declaravit in diluuiio primævi & originalis mundi, Gen. 6. in incendio Sodomitico, Gen. 19. in euerfione populorum, ciuitatum & regionum, Gen. 34. Num. 25. Iud. 20. & alibi. Quin exortes sunt tales etiam æterna hereditatis cœlestis, 1. Cor. 6. Gal. 5. Apoc. 21. & 22.

V. Monemur amplius, in Ecclesiis gentium illam communionem bonorum, que in primitiua Ecclesia Iudaica liberè introducta fuerat, vsitatam nunquam fuisse. Paulus certè concedit negotia & contractus Thessalonicensibus, dummodo sibi à violenta oppressione vel defraudatione aliorum temperent. Suntque plurima illustria & irrefragabilia argumenta, que liquido demonstrant, Christianos in Ecclesiis gentium dominia rerum habuisse distincta. Vt quod Romanor. 12. ad exercendam hospitalitatem hortatur. Et quomodo lites suboriri poterant de his, que ad victum pertinebant inter Corinthios, si sublata proprietate rerum omnia fuissent communia? ac sane Paulus illam distinctionem facultatum in Corinthijs non improbat, sed tantum litigandi rationem illam damnat, qua alter alteri



alteri iniuriam faciebat & causas suas coram profano magistratu non sine horribili scandalo & offendiculo disceptabant, 1. Corinth. 6. Sic eosdem hortatur, ut in usum Ecclesiarum Iudææ, de suis quisque facultatibus secundum animi propositum contribuatur, 2. Corinth. 9. Sic quod scribit 1. Cor. 7. Qui emunt, sint tanquam non possideant: Quod prohibet furta, & vult, ut quisque labore operando manibus, ut possit impartiri ei, qui opus habuerit, Ephes. 4. Quod concedit esse diuites, dummodo faciles sint ad impartendum & libenter communicandum, 1. Timoth. 6. Hæc & huius generis alia multa cominus ostendunt, illam, quam Anabaptiste mordicus urgent, communionem bonorum in Ecclesiis gentium usitatam non fuisse.

VI. De miseria gentilium, qua notatur hac tristi periphrasi, quod DEVM non nouerint. Ex qua veri DEI ignorantia prolapsi deinde sunt in flagitia horribilia prorsus & enormia: quia Deos, quos colebant, putabant eius esse ingenij, ut libidines non ita magnoperè auersarentur, utpote quas ipsimet in hominibus excitarent (qualiter Venus, Dea amoris, fingebatur ad illicitos amores inflam-

inflammare homines) vel quibus ipsi illi gentium dij polluti essent: quemadmodum summus ipsorum Deus, Iuppiter, crebris scortationibus, sexcentis adulterijs, quin & rapti Ganymedis libidinosa conuersatione apud proprios suos cultores infamis erat. Vnde mirum non est, gentiles in omnem licentiam peccandi effuse adeo diffluxisse, vt idolatria suæ mercedem & erroris præmium in semet ipsis reciperent, Rom. 1. Quæadmodum autem funesta hæc veri Dei ignorantia secum traxit illam scelerum flagitiorumq; sentinam: sic ex ortu doctrinæ Euangelicæ vnâ cum idolomania gentium profligata simul est effrenis ista paganorum impietas in moribus, qui prius ambulauerant in vanitate mentis suæ, in ebrietatibus, cubilibus, lasciujs, & nefarijs concupiscentijs, 1. Petr. 4. hi nunc abiectis illis infrugiferis operibus tenebrarum tanquam filij lucis compositè ac decenter ambulent, Ephes. 5. Rom. 13. Membra sua præbeant seruam iustitiæ ad sanctificationem, Rom. 6. adeoque Deum in corpore & spiritu suo glorificent, 1. Cor. 6.

VII. Cauendum, ne quis alterum vel vi vel fraude circumueniat, vel bonis eius illegitimam ratione insidietur. Prohibet hoc Dominus

nus in praecepto septimo, Exod. 20. & sunt res male partæ velut ignis in domo impij. Quãto- perè etiam Dominus abominetur omnem iniustitiam in oppressione proximi, in vsuris, in falsatione mensuræ, & alijs quibuscung, fraudibus & imposturis, luculenter id testatur Spiritus sanctus, Leu. 19. Dent. 25. Prou. 11. & 20. Esa. 5. & Mich. 6. ubi simul ratio ab Apostolo notata stabilitur, quòd DEVS sit ultor super omni iniustitia, qua de re vide plura Amos 8. & 1. Cor. 6.

VIII. Docemur, Christianos in cunctis suis actionibus respicere debere ad dignitatem suæ vocationis, cuius finis cum sit sanctificatio, Apostolo teste, meminerint, ita ut dignum est hac vocatione ambulare, Ephes. 4. 1. Theß. 2. Vocati enim sumus vocatione sancta, 2. Tim. 1. & conditi in Christo IESU ad opera bona, quæ preparauit DEVS, ut in eis ambularemus, Ephes. 2. Quare dignos nos geramus hoc Dei immenso beneficio, qui nos quandoq, sedentes in tenebris & in umbra mortis, ambulare facit in saluificæ suæ agnitionis lumine, Esa. 9. & 60.

IX. De authoritate ministerij Ecclesiastici: quod cum sit ministerium Spiritus Sancti, affirmante Christo, Iohan. 16. idcirco qui mi-  
 H                    nistro-

nistrorum Ecclesie pias admonitiones respiciunt, non homines aspernantur, sed DEVM, ut Apostolus hoc loco perspicue pronunciat. Etenim verbum, ex quo promuntur illae comminationes, non est hominum verbum, sed DEI. Proinde cum in originali mundo homines despicerent conciones Noe, praconis iustitiae, & cum illo odiose contenderent & litigarent, scribuntur aduersus Spiritum DEI abtercati, Gen. 6. Et Christus ait, Luc. 10. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.

X. De colenda fraternacharitate, qui locus in prioribus copiose satis tractatus est.

XI. Quod Thessalonicenses dicuntur θεοδιδάκτοι, quos tamen ab Apostolis constabat esse in fide & charitate institutos: Sumitur hinc necessaria hac doctrina: Quod institutio, quae fit per ordinarium ministerium verbi, sit DEI institutio, & qui hoc modo edocti sunt, verè sint θεοδιδάκτοι, diuinitus docti. Quod obseruandum est contra Suenckfeldianos, qui consimilem sententiam Ieremiae Prophetae: Erunt omnes docti à DEO, Ierem. 31. Item Euangelistae Iohannis dictum. Vnctio ipsa docet vos, 1. Iohan. 2.

eò tor-

eò torquent, ut mediatam hanc docendi in  
 Ecclesia rationem improbent, & qui verbo  
 prædicato docentur, non à DEO, sed ab homi-  
 nibus institutos esse autument. At præsens  
 hic locus Pauli luculenter explicat illa Iere-  
 mie & Iohannis verba. Non possunt infi-  
 ciari Suenckfeldiani, Thessalonicenses esse in  
 Christianismo institutos à Paulo, quod & A-  
 cta Apostolorum perspicuè testificantur, Act.  
 17. & nihilominus pronunciantur verè theo-  
 didaxoi. Rationem reddit Paulus ipse cap.  
 2. huius Epistolæ: Quia nimirum sermo à  
 se prædicatus, sit à Thessalonicensibus acce-  
 ptus, non ut sermo hominum, sed, quem-  
 admodum erat verè, ut sermo DEI. Sic  
 hi ipsi, quos Iohannes scribit ab unctiōne  
 doceri, docebantur à Iohanne, & erant iam  
 antè informati ac instituti ministerio Apo-  
 stolorum. Proinde quod ait Iohannes: Non  
 necesse habetis, ut quisquam doceat vos:  
 non id verorum Doctorem institutioni op-  
 ponit, sed seductorum, quorum informatio  
 non erat illis necessaria, utpote qui per Spiri-  
 tum Sanctum mediante Apostolorum prædi-  
 catione iam pridem in doctrina cælestis capi-  
 tibus erant instituti. Quemadmodum ibidem  
 adijcit: Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt

vos, & unctio, quam accepistis ab eo, manet in vobis, & non necesse habetis, ut quisquam doceat vos, sed sicut ipsa unctio docet vos de omnibus, & verax est, & non est mendacium.

XII. De fugienda τὸ δουπεργυμοσὺν. Paulus vult, ut quieti simus, id est, ne tentemus aut tractemus aliena, agamus verò propria. Petrus vocat eos, qui sese alienis admiscerent negotijs, ἀλλοτρίοι ἐπιχορῶσς, eosq; cum facinorosis furibus & homicidis connectit, & in unum eundemq; catalogum refert, scribens: Ne quis vestrum affligatur, ut homicida, aut fur, aut facinorosus aut curiosus alienarum rerum, 1. Petr. 4. Hac de re locus elegans exstat apud Syracidem cap. 3.

XIII. Debere unumquemq; viuere in certa aliqua vocatione, & in ea laborare pro virili, ut & Reipub. Christiane profit, & se suosq; honestè alat, & proximo, cum opus est, benefaciat. Quam doctrinam Ephes. 4. repetit Apostolus, cum inquit: Qui furabatur, non amplius furetur: magis autem labore operando manibus, quod bonum est, ut possit impartiri ei, qui opus habuerit. Damnatur ergò desidia eorum qui nullam functionem sustinent, sed vel ex suis annuis reditibus ita viuunt, ut nemini prosint, sed sibi viuant, vel  
malis

malis artibus dediti sunt, quales sunt, qui in  
 tabernis, in popinis, in comotationibus, in  
 ignauo ocio etatem suam exigunt, vel qui ar-  
 tes exercent illiberales, & inde questum fa-  
 ciunt. In quo hominum genere etiam presti-  
 giatores, agyrtae, funābuli, lanista, circumfo-  
 ranei, lenones & huius farinae atque generis  
 alij. Huc referendi sunt ociosi & validi  
 mendici, qui cum laborando victum pos-  
 sent sibi comparare, fugiunt omnem hone-  
 stum laborem, & stipem querendo ostia-  
 tim, vel in pontibus atque triuijs men-  
 dicando absque causa molesti sunt alijs: de  
 quibus 2. Thessal. 3. scribit Apostolus: Cum  
 essemus apud vos, hoc precipiebamus vo-  
 bis, ut si quis operari nollet, is nec ederet:  
 Audimus enim quosdam versantes inter  
 vos inordinate, nihil operis facientes, sed  
 curiosè agentes. Iis autem, qui sunt istius-  
 modi, precipimus & obsecramus per Domi-  
 num nostrum IESVM CHRISTVM,  
 ut cum quiete operantes suum  
 ipsorum panem e-  
 dant.



H 3 PARS

PARS SECUNDA  
CAPITIS IV.

SECUNDA pars consolatoria est. Solatur enim Thessalonicenses super obitu propinquorum ex hac vita in Domino decedentium. Solatij argumentum petit ex capite resurrectionis CHRISTI, & quæ hinc dependet, fidelium resurrectione ad vitam æternam.

Cæterum nolo vos ignorare fratres.) De fratrum appellatione multoties dictum est. Indicat verò hisce verbis, quòd velit illos edocere de statu dormientium. Dormire autem metaphoricè dicuntur hi, qui in fiducia filij DEI ex hoc seculo emigraverunt, idque propter infallibile decretum DEI, & inde conceptam spem resuscitationis illorum in novissimo die. Horum ergò de causa non vult nimium tristari Thessalonicenses. Quæ est propositio secundæ huius partis: neque tamen omnem simpliciter luctum prohibet, sed vult modum statui, ne luctus ille videatur cum quadam ethnica ignorantia status futuri seculi, vel cum impatientia, impioe murmure, aut desperatione salutis esse coniunctus: qualis solet esse lu-



se luctus eorum, qui spem non habent. Hæc verò gentilium periphrasis est. Etenim gentiles dicuntur carere spe, hoc est, expectatione futura beatæ resurrectionis, cum omnem planè corporum resurrectionem ignorent: quandoquidem nec DEVM, nec voluntatem eius, nec CHRISTVM & beneficia ipsius cognita & perspecta habent. Idcirco licet resurrecturi sint, id ipsum tamen in hoc seculo ignorant, & resurgent illi non nisi ad ignominiam sempiternam.

Nam si credimus, quòd IESVS.) Articulum nostræ resurrectionis fundat super mortem & resurrectionem CHRISTI, euidenter inde astruens, eos etiam, qui in Dominum IESVM credunt, & in vera ipsius atque viua fiducia moriuntur, esse ad vitam æternam quandoque resurrecturos. Si credimus, inquit, quòd IESVS Christus mortuus sit pro peccatis nostris & resuscitatus ob iustificationem nostram (ut certè credere tenentur omnes, qui se Christianos dici volunt) si hos duos articulos, tanquam perpetuæ salutis nostræ columnas, vera fide tenemus, tum DEVS illos, qui in hac fide IESV CHRISTI demor-

tui sunt, quandoq; resuscitados adducet cum ipso, nimirum in magna illa patefactione CHRISTI, & nostri in illum aggregatione.

Hoc enim vobis dicimus.) Resurrectionem mortuorum adeò certam esse perhibet, ut actum ipsum describat & ordinem rerum tum gerendarum notanter exprimat. Quodq; hic verbum Domini appellat, id 1. Cor. 15. mysterium nominat; hanc enim abstrusissimæ rei cognitionem didicit ipse, ex peculiari planè revelatione Domini Iesu Christi. Eius prima pars est, quòd nos, qui vivimus, non præueniemus eos, qui dormiunt. Vbi notanda est figura orationis Pauline. Ita namq; format sermonem, ac si ipse quoque superstes futurus sit in nouissimo die, cum loquitur in prima persona: Nos qui vivemus & reliqui erimus. Verùm non fuit in hac opinione Apostolus; sciebat enim, se, ob professionem Euangelij, martyrio coronatum iri: scribens 2. Tim. 4. in propinquo esse, ut immoletur, & instare tempus resolutionis sue. Cumque quidam Thessalonicensium hanc loquendi rationem ab Apostolo usurpatam eò intelligerent, quasi Paulus unà cum eius ætatis Thessalonicensibus ad diem usq; Domini vi-

Eturus

Eturus esset in hoc seculo: idcirco posteriore  
 epistola opinionem illam ex professo refellit,  
 obtestans illos, ne sibi persuaderi sinant, siue  
 per spiritum, siue per sermonem, siue per epi-  
 stolam, tanquam à se (Paulo) profectam, quasi  
 instet dies Domini: non enim venturum esse  
 Dominum, nisi fiat defectio prius, & reuele-  
 tur Antichristus in regno suo: tum enim de-  
 mum fore, vt conficiatur spiritus oris Christi,  
 & aboleatur claritate aduentus eius. Itaq; hoc  
 loco per cōmunicationis figuram, quam Græci  
 κοινοῦ οἰνοῦ appellat, ita loquitur in persona  
 prima, idq; propter vnitatē mysticam, quæ est  
 omnium Christianorum inter sese, propter  
 quam id, quod vni euenit membro, ad reliqua  
 etiam suo modo pertinere iudicatur.

Quid ergo disserit de superstitionibus illis fi-  
 delibus? Nimirum hoc, quod nō sint præuen-  
 turi eos, qui dormiunt, quasi videlicet illi prius  
 sint ad Christum rapiendi in nubes, antequam  
 hi, qui in Domino mortui sunt, resurgant. Sed  
 sequentem ordinem seruatum iri confirmat;  
 quod ipse Dominus IESVS, cum hortatu  
 & voce archangeli ac tuba DEI descen-  
 surus sit de coelo. Hortatū nominat sonum  
 tubæ, quo ceu signum dabitur aduentantis ad  
 iudicium seruatoris CHRISTI. Omnia namq;

H 5 elemen-

EXO. 19. 20.

elementa tum cōmouebuntur, et è nubibus au-  
 dietur vox omnipotētis DEI, et clanget ac per-  
 sonabit tuba, ministerio totius militiae caelestis  
 ineffabiliter inflata. Porrò quid per vocē DEI  
 ac tubā eius intelligatur, partim ex Ps. 29. par-  
 tim ex historia promulgatae legis euidentis est,  
 nempe horribilis ille fragor inclarescētium to-  
 nitruum, quorum impetu olim vastissima de-  
 ferta Sinai longè lateq; concutiebantur. In no-  
 uissimo autem die non tantum vniuersa hac  
 regio sublunaris, sed ipsi cardines caelorum ad hu-  
 ius tubae clangorem cōmouebuntur validissi-  
 me, donec ultimo tonitruo tota hac creati mun-  
 di machina euersa collabatur & in nihilum e-  
 uanescet. Meminit autē Paulus vocis archan-  
 geli. Quamuis enim mittet filius hominis an-  
 gelos suos cum tubae voce magna, Matth. 24. in  
 specie tamē, imò in indiuiduo, vnius cuiusdam  
 Archangeli hic fit mentio. Is verò non est  
 Christus ipse: Discernitur enim aperte Do-  
 minus ab Archangelo suo, quemadmodum ne-  
 que in Scriptura Noui Testamēti Christus hu-  
 iusmodi tectis nominibus amplius appellari  
 consuevit. Est autē archangelus ille secundum  
 explicationem Prophetarum et Apostolorum,  
 Michaël, quem solum ex omni militia creato-  
 rum Angelorum canonica scriptura expressè  
 Archan-

Archangelum appellat, sub quo tanquam duce militanti Angeli eius, ut Apocalyp. 12. cap. legitur.

Tunc ergo mortui in Christo resurgent primùm, antequam scilicet hi, qui superstites manserunt, in occursum Domini rapiantur. Vbi autem resuscitati fuerint è sepulchris mortui, tum demum hi, qui viuent, in ictu oculi transmutati, simul cum resuscitatis illis uocatu & una congregatione rapiuntur in nubibus in occursum Domini in aëra. Fiet hæc electorum ad Christum aggregatio mundo hoc aspectabili nondum annihilato: quandoquidem nubium fit mentio & aëris, quæ ad elementarem regionem pertinere certum est. Caterùm translatione hac iam facta, pronüciatâq; super impios æterna damnationis sententia: tunc vi nouissimi fulminis mundus hic ingenti cum fragore corruet, exuret terra, & opera, quæ in eo sunt; liquefcent elementa, cæli ipsi procellæ in morem transibunt, 2. Petri 3. Electi autem & beati erunt cum Domino in vna eademq; vita cælesti, idq; semper, hoc est, in æternitate nullis vnquam seculorum seculis desitura.

Proinde consolemini vos mutuò )  
 Conclusio est instituta consolationis, huc tendens,

dens, ut Christiani & seipsos hac spe resurrectionis fulciant &, morientium in Christo amicorum obitum equiore animo ferant, & se mutuo in omnis generis aduersitatibus erigant dulcissimis his sermonibus de gloriosa nostra resurrectione &, quæ hanc exceptura est, sempiterna beatitudine.

### LOCI COMMUNES.

I. Notandum est, quod Apostolus eos, qui in Domino IESU mortui sunt, dormire dicit. Negari sanè non potest, quod et impiorum mors nonnunquam in scriptura somno assimilatur. Quemadmodum de impijs regibus aliquoties legitur; obdormisse illos cum patribus suis, I. Reg. 15. & 16. Quin & Daniel uniuersalem resurrectionem piorum iuxta & impiorum predicens ait: In illo tempore multi, qui dormiunt in puluere terra, euigilabunt, quidam ad vitam æternam, quidam autem ad perpetuam ignominiam. Dormire autem dicuntur omnes mortui, respectu vêturæ resurrectionis illorum. Piorum autem mors peculiari de causa assimilatur somno, quoniam tales requiescunt à laboribus suis, Apocal. 14. Et quandoque in nouissimo die excitabuntur ad venturæ vitæ iucundissimos labores æternum obeun-

obeundos, quorum eos nullum unquam capiet  
vel tedium vel defatigatio. Hac de re legitur  
memorabilis apud Esaiam Prophetam senten-  
tia cap. 26. *Viuent mortui tui, interfecti mei  
resurgent, expergiscimini & laudate, qui ha-  
bitatis in puluere terra.*

II. De moderando luctu, concepto ex obi-  
tu propinquorum. Paulus non omnem plane  
luctum prohibet. Iubet enim scriptura tristi-  
ri & dolere de obitu nostrorum hominum,  
Syr. 38. & displicet DEO. Stoica illa ἀσπυρία,  
quam in gentibus ut peccatum reprehendit  
Paulus, Rom. 1. Ideoq; sanctissimi quiq; suos lu-  
xisse scribuntur, Genes. 23. 35. 49. 50. Deut. 34.  
2. Paral. 35. Quin ipse filius DEI ad monu-  
mentum Lazari amici sui illachrimasse legi-  
tur, Iohan. 11. Interim pia mentes considera-  
tione beatæ resurrectionis sese sustentent, &  
luctum suum moderentur, iuxta præceptum  
Pauli, quod & in Syracide 22. & 38. repetitum  
extat. Eiusq; nobis exemplum illustre præbet  
Dauid, qui percepto nuncio de obitu filioli, sur-  
git, edit & bibit, seq; recreat & aulicis suis hoc  
ipsius factum demirantibus respondet: Pro-  
pter infantem, cum adhuc viueret, ieiunavi  
& fleui: Dicebam enim, quis scit, si forte do-  
net eum mihi Dominus et uiuat infans. Nunc  
autem

autem quia mortuus est, cur ieiunarem? num  
potero reuocare eum? ego vadā magis ad eum,  
ille non reuertetur ad me, 2. Sam. 12.

III. De miseria populorum, qui orbat  
sunt agnitione saluifica Domini nostri IESU  
CHRISTI. Hac illorum extrema ca-  
lamitas notatur hac tristi paraphrasi: quod  
spem non habeant. Quapropter sedere dicun-  
tur in tenebris & ambulare in umbra mor-  
tis, Esa. 9. Dicuntur esse sine CHRISTO, ab-  
alienati à Repub. Israël, extranei à testamen-  
tis promissionum, spem non habentes, Deo que  
carentes in mundo, Ephes. 2. Abscissi quip-  
pe à vita DEI propter ignorantiam, quæ  
in eis est, & excecationem cordis illorum,  
Ephes. 4. Quapropter nec in vita nec in mor-  
te ullam solidam consolationem aut spem ha-  
bere possunt: in aduersis non habent vllum  
DEVM, cui suas miseras commendent: in  
morte autem vniuersa illorum spes prorsus in  
nihilum abit, ut miserè trepident vel ad co-  
gitationem, nedum ad horribilem aspectum  
mortis. Quemadmodum Hadrianus apud  
Ælium moriens ait; Animula vagula,  
blandula, hospes comēsque corporis, pallida,  
rigida, nudula, quæ nunc abibis in loca, nec, ut  
soles, dabis iocos. Porro qui de futuri seculi sta-  
tu se-



In securi decedunt inter gentiles, horum animæ in ipso egressu subito in gehennam precipitantur, è qua nulla redemptio est. Hinc autem econuerso nos fœlicitatem nostram agnoscetes DEO sempiternas agamus gratias pro luce saluifica agnitionis suæ, qua nos præ reliquis gentibus immenso & inenarrabili beneficio collustrauit, vt in ea notitia DEI & CHRISTI spem solidam adepti vitam æternam habeamus, Ioh. 17.

IV. Monemur, nostram resurrectionem ad vitam æternam esse superstructam articulo resurrectionis Christi. Quod paucus hic attingit Paulus, fusissimè rem persequitur 1. Cor. 15. Etenim quia mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram, Rō. 4. ideò hac sempiterna iustitia reducta, nullus relinquitur amplius mortis imperio locus. Quapropter per hoc, quòd Iesus Christus resurrexit ex mortuis, regeniti scribimur in spẽ viuam, in hereditatẽ immortalem & immarcescibilem, 1. Petr. 1. qua fiducia confirmati verè pij in media morte cum Paulo dicunt: Siue viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur: siue igitur uiuamus, siue moriamur, Domini sumus. In hoc enim & Christus mortuus est & resurre-

surrexit, ut mortuis ac viventibus dominetur, Rom. 14.

V. Docemur, hanc epistolam, ut & reliquas Apostolorum epistolas, pertinere non ad eos duntaxat Christianos, qui temporibus Apostolorum vixerunt, sed ad omnium seculorum & aetatum Ecclesiam; adeoque ad hos etiam Christianos, qui superstites erunt in aduentu Domini, quod litera verborum Apostoli manifestissime declarat: Et in consimili tractatu de resurrectione mortuorum Paulus eadem planè perspicuitate tradit, i. Corinth. 15. Quam itidem epistolam ad Corinthios datam Paulus ipse communem facit omnibus ijs, qui innocant nomen Domini nostri IESU CHRISTI in omni loco vel suo vel nostro, i. Corinth. 1. Quod contra perfidiam Antichristi Romani & mancipiorum eius observandum venit. Etenim Pontificij epistolas illas sanctorum Apostolorum, imprimis Pauli, scriptas esse dicunt ad particulares ecclesias, ideoque pro norma doctrinae in ecclesia omnium temporum catholica haberi minus posse. Quanquam autem epistole Paulinae quibusdam ecclesijs particularibus inscriptae sunt, & ad speciales quosdam casus in nonnullis accommodatae: tamen sic ab

Apo-

Apostolo illi decisus casus & questiones, possunt deinceps esse exemplo in consimilibus casibus ecclesijs ad unam omnibus. Et sanè quod atinet dogmata fidei in ijs epistolis pertractata, ut de DEO, de CHRISTO, persona eius, officio, beneficijs, Euangelio, iustificatione, Sacramentis, resurrectione mortuorum & vita eterna, adeoq; de omnibus ac singulis doctrinae Christianae capitibus: quis tam sit impudens, qui Apostolicam decisionem in epistolis circa haec fidei capita propositam non ex aequo ad omnes omnium locorum, gentium & aetatum ecclesias pertinere dicat? Num enim illae particulares ecclesiae habent aliam fidem, alia doctrinae capita & articulos, atque nos? Imò est una fides, una veritas, una doctrina, quemadmodum & unus spiritus, Ephes. 4. à quo illa in Scripturis diuinitus inspiratis prodita est.

VI. Quanquam in aduentu Domini nostri Iesu Christi tanta erit piorum paucitas & raritas, ut Saluator exclamet: Cum venerit filius hominis, an reperiturus est fidem in terra? Luc. 18. Tamen ex hoc praesente loco Paulino haud obscure liquet, fore certè aliquas, licet admodum tenues reliquias piorum fidelium & electorum in die aduentus Christi, de quibus per-

I bus per-

bus perspicuè affirmat Paulus, raptum illos  
 in unâ cum resuscitatis in occursum Domini  
 & perpetuò cum illo esse futuros. Conseruabi-  
 tur enim ecclesia vigore promissionum di-  
 uinarum ad nouissimum usque diem. Qua-  
 propter & Saluator in persona discipulorum  
 alloquens pios, quos viuos deprehendet dies  
 ultimus, inquit: Cum videritis hæc omnia  
 fieri, attollite capita vestra, scientes quòd  
 appropinquet redemptio vestra, Luca 21. &  
 Matth. 24. Erunt duo in agro vno, alter as-  
 sumetur, alter relinquetur: erunt due in mo-  
 la vna, altera assumetur, altera relinquetur.  
 Quod ipsum & similitudo de decem virgini-  
 bus haud ambigüè testatur.

VII. Quæ de hortatu & voce Archangeli  
 & tuba DEI dicuntur, exuscitent pias  
 mentes ad condignam preparationem, ut  
 parati sint, in tremendo illo die, quo ceu me-  
 dia nocte (hominibus altum dormientibus  
 & stertentibus in peccatis suis) clamor fiet:  
 Ecce, sponsus venit, procedite ei obuiam,  
 Matth. 25. Quando cæli ipsi procella in mo-  
 rem transibunt, elementa verò aestuantia sol-  
 uentur, & terra, & quæ in ea sunt, opera ex-  
 urentur, 2. Petri 3. quando à conspectu supre-  
 mi iudicis fugiet cælum & terra, & locus non  
 inue-

inuenietur eis, Apocalyp. 20. Quando omnis mons & insula de locis suis mouebuntur, Apocalyp. 6. quando impij ex summa securitate in extremam desperationem subito coniecti dicent montibus ac petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus iræ illius, & quis poterit stare? Apocalyp. 6. Scientes igitur terrorem illum Domini, 2. Corinth. 5. vigilemus & oremus, ne improvidos & securos tanquam fur in nocte dies ille nos obruat, Matth. 24. et 25. Lu. 21. & 1. Thessal. 5.

VIII. De triumpho & triumphali deductione sponsæ cælestis in palatium regni cælorum. Veniet enim sponsus filius DEI liberaturus ex hac ærumnarum valle & traducturus in cælestem regiam, sponsam dilectam suam, hoc est, ecclesiam & omnium verè credentium & electorum cætum. Hi ardentibus facibus & instructis lampadibus obviam procedent ei, Matthæi 25. & solenni voce æterni iudicis inuitabuntur ac intromittentur in coronationem & societatem gaudij cælestis. Hæc triumphalis deductio fiet in conspectu DEI, sanctorum Angelorum & uniuersi mundi.

IX. De vita aeterna, quae excipiet fidelium resurrectionem. Eius non ultima pars erit, quod cum Domino sumus futuri perpetuò, victuri cum eo & regnaturi in omnem aeternitatem. Promisit hoc suis Dominus, Ioh. 14. Cum abiero ad parandum vobis locum, iterum veniam & assumam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, & vos sitis: Et Iohan. 17. Pater, volo, ut ubi ego sum, sint & hi, quos dedisti mihi. Erunt autem cum Domino in eadem vita aeterna, cuius quae futura ratio & conditio sit, in hoc quidem seculo ignoratur; siquidem oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quae preparavit DEVS diligentibus se, Esa. 64. 1. Corint. 2.

X. Docetur, quem in finem articulus de resurrectione mortuorum ad vitam aeternam sit in ecclesia proponendus & urgendus, nempe inter fines alios ad consolationem quoque. Consolemini vos mutuò, inquit Apostolus, sermonibus his. Sic Christus ipse spe & meditatione suae resurrectionis exultat spiritu, Psal. 16. et Ioh. 13. Et Iob in summis angustijs suis sese erigit hac indubitata spe, quod aliquando de terra resurrecturus & DEVM visurus sit, Iob. 19. Quapropter & Apostolus Paulus tra-

Etatum

*Etatum insignem suam de mortuorū resurre-  
ctione I. Cor. 15. institutum, hac sententia dul-  
ci & memorabili claudit: Itaque fratres mei  
dilecti, stabiles sitis, abundantes in opere Do-  
mini semper, cum sciatis, quod labor vester  
non est inanis in Domino.*

## CAPVT QVINTVM.

### ARGVMENTVM ET dispositio.

**Q**Voniam dixerat antecedente capi-  
te, venturū esse Dominum ad re-  
suscitandū mortuos, ideò nunc de tem-  
pore illius aduētus differit, simul ad di-  
gnam præparationē animos Christia-  
norū exuscitans. Deinde subiungit ad-  
monitiunculam de honorandis verbi  
diuini ministris. Tertiò accumulatur di-  
uersas atque varias admonitiones ad  
colenda & sectanda omnis generis offi-  
cia pietatis & honestatis. Quarta deni-  
que parte loco epilogi votum &  
consuetam Apostolicam sa-  
lutationem sub-  
ijcit.

I 3 PRIMA

PRIMA PARS  
CAPITIS V.

**P**ORRO de temporibus) Quoniam saluator Marci 13. liquido pronunciat; Diem aduentus filij hominis ne quidem Angelis cælorum esse notum, imò neq; filio (scilicet iuxta humanitatem, quatenus illa tunc in statu humiliationis erat constituta) Ideoq; D. Paulus de temporum articulis, quos pater in sua ipsius constituit potestate, Actor. 1. quicquam scribere, aut diem certum præfinire, non modò superuacaneum, sed etiam curiosum, quin & ἀδύνατον esse pronunciat. Proinde refert, se nihil habere, quod scribat de tempore aduentus Domini, nisi hoc generale, quod Thessalonicensibus iam antè notum sit, venturum esse diem Domini, quem admodum fur in nocte venire soleat. Quam similitudinem mutuatus est ex concione Domini IESV, descripta Matth. 24. hisce verbis: Illud autem scitote, si sciuisset paterfamiliàs, qua hora fur venturus fuisset, vigilasset utiq; &c.

Cùm enim dixerint) Declarat Apostolus, quàm sit dies ille securo & impio mundo



mundo futurus planè inexpectatus & cum  
 periculo sempiterni exitij coniunctus. Expri-  
 mit autem voces impænitentium hominum  
 impias & securitatis plenas, quòd in illo ar-  
 ticulo temporis, quo iam iam veniet Domi-  
 nus, ipsi nihil minus, quàm hoc cogitantes,  
 dicturi sint: pax & tuta omnia: nimirum  
 Epicureo contemptu irrisuri prophetias, con-  
 ciones & admonitiones, quæ de tremendo  
 illo iudicio viuorum & mortuorum in sa-  
 cris literis patefacta sunt. Ex hac igitur stu-  
 penda & exitiali securitate, mundus im-  
 pius subito demergetur & absorbebitur in  
 æternæ damnationis interitum. Quod alia  
 similitudine exprimit Paulus, sumpta à  
 doloribus partus, qui mulierem prægnan-  
 tem & parturientem repente sic obruunt,  
 ut illos deuitare prorsus sit impossibile:  
 Sic homines impænitentes aduentu Domi-  
 ni & ingruente horribili expectatione  
 æterni iudicij ac supplicij sic in desperationis  
 abyssum præcipitatum iri confirmat, ut nec  
 ex formidine illa sese recolligere, nec iram  
 omnipotentis iudicis effugere vlla ratione  
 possint.

At vos fratres non estis ) Paulus securi-

1 4 tatem

tatem impij mundi, quæ circa finem seculi regnatura erat, ita reprehendit, ita terrorem subitum, horrendum periculum & sempiternum exitium infidelium amplificat, ut interim pios necessaria consolatione non destituat. Καὶ ἄλλ' ἔπειτα ergo subiicit. At vos fratres, non estis sub tenebris, &c. Demonstrans, fore sanè Domini diem filijs tenebrarum horribilem & funestum; at filijs lucis salutarem & exoptatum. Metaphoricè autem pios lucis filios appellat, quòd in illorum cordibus accensa sit salutifera lux agnitionis DEI & CHRISTI, & per fidem in luce ambulent, operaque non tenebrarum faciant, sed lucis ac diei. At homines DEI ignaros & impios nominat filios noctis & tenebrarum, siquidem ipsorum mentibus offusa est caligo ignorantie DEI, & in tenebris huius mundi ambulant, diabolo excæcante corda illorum, ne illucescat illis lumen Euangelij gloria Christi, 2. Cor. 4. De veris ergo Christianis asserit D. Apostolus: Vos non estis in tenebris, ut dies ille vos tanquam fur opprimat, hoc est, nō hæretis amplius in mortifera illa DEI et Christi ignoratione, ut nec infrugiferis operibus tenebrarum sine peccatis dediti estis, sed omnes, qui  
 Chri-

Christo adhaeretis per fidem, hunc dignitatis  
 titulum consecuti estis, ut vocemini filij lucis  
 & filij diei, non sumus ut olim filij noctis  
 aut tenebrarum, sed ex pristinis tenebris  
 incredulitatis & impietatis euocati in admi-  
 rabilem Dei lucem, 1. Petr. 2. Ab hac igitur  
 beata conditione piorum ac fidelium argu-  
 mentum petit Apostolus exhortationis ad vi-  
 gilantiã fidei totiusq; vitæ sobrietatem &  
 sanctimoniam, sic pergens: Proinde ne dor-  
 miamus &c. Dormiendi verbo notat mun-  
 di carnalem securitatem, qua citra omnem  
 metum indignationis DEI & futurarum  
 pœnarum, peccatis suis indormiunt homines  
 impœnitentes, de salute animarum nil quic-  
 quam solliciti: Vult ergo Paulus, ne ad morem  
 filiorum huius seculi in profana securitate vi-  
 uant, sed præclare suæ conditionis memores  
 vigilent potius & sobrij sint, omniq; conatu  
 eo contendant & elaborent, ne fraude diaboli  
 circumuenti sese profundo peccatorum somno  
 opprimi patiantur, neue se dedant crapula &  
 ebrietati, vel peccatis cæteris, quæ sobrietati  
 vitæ Christianæ aduersantur.

Nam qui dormiunt.) Argumentum  
 suum illustrat Paulus similitudine ab ijs de-  
 ducta, qui naturaliter vel dormiunt vel vi-  
 I 5      gilant,

gilant, hoc sensu: Quemadmodum somno naturali non dies, sed nox destinata est: e contra vero vigilijs & honestis laboribus deputatus dies: & quemadmodum qui ebrij sunt, plerunque sunt noctu ebrij, extrahentes comperationes suas in multam & intempertam usq; noctem; sic e conuerso, cum vos non sitis noctis & tenebrarū, sed dici atq; lucis, non decet in summo meridie fulgētis ac splendētis Euangelij stertere in peccatis, abiectāq; cura salutis inebriari delicijs ac voluptatibus huius mundi, sed ea potius meditari, suscipere & agere, qua luci Evangelicæ professionis cōgrua sunt.

Induti thoracem fidei.) Paulus occasione suæ istius adhortationis describit arma lucis, ad eorū Christianorum τῶ ἀνοπλίαν seu armaturam, qua tanquam in die ambulantes indutos esse conuenit, Rom. 13. commendans eis tres virtutes cardinales, fidem, charitatem & spem. In initio autem vult fide in Deum, & charitate in Deum & proximum munitum esse cor Christiani hominis thorace impetrabili, qui tela Satanæ ignita non intronit, sed elidat & excutiat ea omnia, quæ vel fiduciam DEI & Christi in nobis labefacere, vel illam erga DEVM & proximum faciem charitatis extinguere posse v. le intur.

Cate-

Ceterum & galeam addit muniendo capiti. Eam nominat spem salutis, qua speratur & expectatur salus, verbo DEI promissa fidelibus. Hanc galeam, ut eò firmitus aptet capiti, hoc est, ut de ea nos reddat quam certissimos, subiungit argumentum à benefica DEI voluntate & misericordia desumptum, inquit: Non enim constituit nos DEVS, ut iram concitemus nobis, sed ut salutem consequamur per Dominum nostrum Iesum Christum, quasi dicat, tuto & sine hesitatione spe firma & indubitata expectare licet eternam salutem. Quandoquidem DEVS ipse ex beneplacito voluntatis suae in hoc nos constituit eterna sua electione, destinans nos non ad iram, sed ad hunc beatorum fidei ac spei nostrae finem atque scopum, qui est consecutio salutis animarum; quod ipsum in tempore per verbum & Sacramenta virtute Spiritus sancti potenter in nobis operatur & ad ultimum illum finem perducit. Non itaque nos qui credimus, qui sumus filij lucis, qui inanti sumus thoracem fidei & charitatis, & pro galea spem salutis, non, inquam, constituit nos Deus in iram, sed destinavit potius regno suo & aeterna beatitudini, ut potiamur optata salute, idq; nonnullo nostro merito,

rito,

rito, sed per Dominum nostrum Iesum Christum, tanquam omnis salutis nostrae auctorem, reparatorem atque principem, qui propterea mortuus est pro nobis, ut siue vigilemus, siue dormiamus (quod quidem naturalem somnum attinet) simul cum illo uiuamus.

Quapropter adhortemini vos mutuò.) Vult Apostolus, ut meditatione nouissimi diei non pro se tantum quisq; piè sancteq; uiuat, sed etiam alios ad uitæ sanctimoniam sectandam pijs & salutaribus admonitionibus exuscitet, adeoq; singuli singulos ædificēt, quò in pietatis cultu uberiores subindè progressus faciant. Admonitioni suæ aspergit Apostolus laudationem, scribens, Thessalonicenses hoc ipsum facere: nihilominus verò, ne in hoc officio pietatis Christianæ aliquid remitterent, stimulum exhortationis & calcar addere voluit spontè currentibus.

### LOCI COMMVNES.

I. Refellit Apostolus impiam temeritatem & periculosam curiositatem eorum, qui ex obscuris numeris vaticiniorum & Apocalypseos, vel etiam ex astrorum positu conantur per-

perscrutari, quando & ad quem temporis articulum Dominus venturus sit, quorum audaciam Christus reprimit Marc. 13. et hoc in loco D. Apostolus Paulus. Quin experientia vanitatem illarum predictionum, quas isti maiestatis divina scrutatores venditant, multoties refutauit. Hoc equidem constat, in propinquo esse diem Domini, signis omnibus, quae de nouissimis temporibus sunt praedicta, ad complementum atq; finem suum decurrentibus: Quo autem anno, mense, die vel hora venturus sit Christus ad iudicium, certo definire velle, horribilis audacia & extrema impietatis est.

II. Quoniam dies Domini, affirmante Paulo, ut fur in nocte veniet: necessaria nobis est perpetua preparatio ad excipiendum illum. Christus ipse hac similitudine exuscitat suos, ut vigilent, quia nesciant, quando Dominus sit venturus. D. Petrus eadem similitudine usus talem inde commonefactionem extrahit, 2. Petr. 3. Veniet Dominus sicut fur in nocte, & tunc caeli procellae in morem transibunt: elementa vero aestuantia soluentur, & terra & quae in ea sunt opera exurentur. Cum igitur haec omnia soluantur, quales oportet esse vos in sanctis conuersationibus ac  
pre-

pietatibus, expectantes & accelerantes aduentum diei Dei? Eundem in modum minatur Iohannes Apoc. 3. Si non vigilaueris, veniam ad te, tanquam fur, & nescis qua hora veniam ad te.

III. De securitate mundi, quæ circa finem seculi regnatura erat, & iam iam ubique locorum regnat, quæ haud aliter, ac si nullum unquam extimescendū iudicium sit, effusissima impietate disfluit mundus in licentiam omnium peccatorum. Et reuera completur vaticinium Petri, affirmantis, venturos in extremis diebus illusores, qui iuxta proprias concupiscentias ambulent & dicant: Vbi est pollicitatio aduentus eius, siquidem ex quo patres obdormierunt, sic omnia permanent ab initio conditionis. Planè ut olim loco prouerbij iatabant Iudæi Ezech. 12. In longum differuntur dies, ideo peribit prophetia, hoc est, quæ prænunciant propheta, differuntur de die in diem: vana igitur sunt, quacumq; de imminente pœna blaterant. Quemadmodum autem profanis illis contemptoribus diuinarum comminationum respondet Dominus: Quiescere faciam prouerbum istud, neq; amplius dicetur in Israël: Appropinquat enim dies & sermo visionis. Non enim erit ultra omnis visio



visio cassa, neque diuinitio fallax in medio filiorum Israël. Quia quod ego Dominus locutus sum, fiet, non prolongabitur amplius, sed in diebus vestris, o domus exasperans, loquar verbum & faciam illud: Ita hoc ipsum quoque contemptores vaticiniorum de nouissimo die sibi dictum ac responsum meminerint. Experientur magno suo malo & exitio sempiterno, non irritam fuisse aut vanam comminationem ac denunciationem tremendi illius iudicij.

VI. Monemur in super securitatem esse veluti *ἡ πόλις πομπῶν* imminentis exitij. Paret res scriptura simul & experientia exemplis: Pœnam diluuij orbis tempore Noæ, ut & conflagrationem Sodomiticam in diebus Loth, horribilis antecedebat securitas. Edebant enim, bibebant, uxores ducebant, & dabantur nuptum, emebant, vendebant, plantabant, edificabant; in summa peccatorum omnium licentia vivebant, donec calamitate atque pœna per iustitia præcones illos, Noam & Lothum denunciata, subito & præter omnem expectationem obruerentur, Luc. 17. Sic utramque vastationem Ierosolymæ & Iudææ stupenda planè securitas est antegressa. Ita cum hodie videamus consimilem torporem & veter-

num securitatis impiorum hominum, non dubitemus instare mundi  $\tau$  α νο λ ε θ ε ι α ν seu universalem interitum, dicente Paulo, quando dixerint: Pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminebit interitus. Proinde caueamus, ne quando corda nostra grauentur crapula & ebrietate, & curis huius vite, ac subito ingruat dies ille: tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui habitant super faciem totius terra, Luc. 21.

V. De tristissima sorte impiorum: qui in media sua felicitate terrena, rerumq; omnium affluentia & abundantia sunt deploratè miseri, quippè filij tenebrarum & noctis, sedentes in tenebris & in umbra mortis, Esa. 9. mentem habentes obtenebratam, abalienati à vita DEI propter ignorantiam, quæ est in illis, & excacationem cordis illorum, Ephes. 4. tandemq; conijciuntur in exteriores tenebras, ubi ploratus erit & stridor dentium, Matt. 8. 24. & 25. ubi gratia DEI lucem nunquam aspicient, Psal. 49.

VI. De summa gloria & felicitate piorum, quam titulus ipsorum arguit, quòd filij lucis ac diei nuncupantur. Sunt enim singulari DEI gratia ex tenebris in admirabilem ipsius lucem euocati, 1. Pet. 2. in quorum cordibus  
 exortus

exortus est sol iustitiae, Mal. 4. Iesus Christus, qui est lux illa vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, Iohan. 1. Huius agnitione illustrati in illius lumine lumen aspiciunt, Psal. 36. utpote qui erepti ex potestate tenebrarum & translati in regnum filij DEI, redditi sunt idonei ad participationem sortis sanctorum in lumine, Col. 1. & re-recta facie gloriam Domini in speculo representantes, ad eandem imaginem transformantur de gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu, 2. Cor. 3. Visuri quandoq; in aeterna illa luce beatitatis caelestis DEVM facie ad faciem, 1. Cor. 13.

VII. Hac porrò dignitas piorum ad usum practicum transferenda est, ut cum filij lucis esse & haberi velint, studeant operibus lucis, quæ in DEO facta sint, Ioh. 3. & sic lucere sinant lucem suam coram hominibus, ut homines videntes opera illorum bona, glorificent patrem, qui in caelis est, Matth. 5. Sint memores admonitionis Paulinae Rom. 13. Nox progressa est, dies autem appropinquat. Abijciamus igitur opera tenebrarum & induamus arma lucis, tanquam in die compositè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non cubilibus ac lascivijs, non contentione, &

K

AMM

emulatione, sed induamus Dominum Iesum Christum. Et rursum: Ut filij lucis ambulate, probātes, quid sit acceptum Domino, nec commercium habueritis cum operibus infrugiferis tenebrarum, Ephes. 5. sed tanquam filij DEI irreprehensibiles in medio nationis prave ac tortuose lucete ut luminaria in mundo, Phi. 2. Deus enim, de cuius notitia gloriamur, lux est, & tenebra in eo non sunt vlla. Quare si dixerimus, quod societatem habeamus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur & veritatem non facimus: sin verò in luce ambulamus, sicut ipse in luce est, societatem habemus inter nos mutuam, & sanguis IESU Christi filij eius emundat nos ab omni peccato, 1. Ioh. 1.

VIII. De armatura Christianorum, quos nunquam non conuenit indutos esse thoracem fidei & charitatis, & pro galea spem salutis: Decet esse expeditos ad pugnandum aduersus assultus Diaboli, quoniam non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales astutias in cælestibus. Stemus igitur lumbis circumcinctis balthæo per veritatem, & induiti

induti thoracem iustitiæ, & calceati pedibus, ut parati simus ad Evangelium pacis, super omnia assumto scuto fidei, quo possimus omnia iacula mali illius ignita extinguere; galeamque salutaris accipiamus & gladium Spiritus, qui est verbum DEI, ut possimus resistere in die malo, cunctisque peractis stare, Ephes. 6.

IX. Refutanda hîc venit corruptela loci Paulini Calvinistica. Etenim ex hoc textu Calviniani sic inferunt: nos (id est, pios & fideles) non constituit DEVS ad iram, sed ad salutem. Ergo ceteros ad iram constituit, ad iram & exitium destinavit & condidit. Verùm hæc prodigiosa blasphemia Diuo Apostolo in mentem non venit, cuius institutum est hoc loco explicare beneficium DEI, erga filios lucis, quòd videlicet DEVS illos non ad iram sed ad salutem destinârit; neque tamen ex opposito hoc docere vult; quòd reliqui ad iram simplici aliqua DEI voluntate ac decreto destinati sint. Paulus enim tantùm priuationem huius beneficii adscribit impijs, non verò eontra positionem mali ad DEVM vel voluntatem ipsius refert. Quin Apostolus ipse hanc Calvinisticam argumentationem palàm  
K 2 refellit,

refellit, scribens ad Timotheum: Velle Deum, ut omnes homines salui fiant, & ad agnitionem veritatis perueniant. Et Rom. II. Conclufit DEVS omnes sub incredulitatem, ut omnium misereatur.

X. Abutuntur verò etiam hi textu Apostolico, qui hinc quandam indiscretam, promiscuam & confusam omnium simpliciter hominum electionem ad salutem procudunt, siue illi in Christum Iesum credant, siue non credant. Quanquam enim ratiocinatio Calvinistica illa fallit, ut iam ostensum est, tamen ideò non sequitur, omnes sine vlla discretionem homines, citra respectum fidei vel incredulitatis, esse ad salutem predestinatos & electos. Paulus enim hisce verbis expresse loquitur, non de impijs, sed de pijs, quos filios lucis ac diei nominauerat, quos dixerat indutos thoracem fidei & charitatis & pro galea spem salutis. Hos igitur ad salutem constitutos & electos predicat, & quidem non absolute, sed per Dominum nostrum Iesum Christum, inquit Apostolus. In Christo enim facta est nostra electio, Eph. I. Proinde hos solos attinet Electio, qui in Christo sunt & in ipso manent. Ceteros autem ostendit à salute reiectos, non per aliquod decretum DEI absolutum de ipsorum reprobatione citra respectum


spectum infidelitatis ipsorum factum, ut Cal-  
 uiniani dicunt & scriptitant; sed per &  
 propter incredulitatem ipsorum, per & pro-  
 pter contemptum ac neglectum mediorum sa-  
 lutis, quorum aliàs usurpatione poterant & i-  
 psi virtute & operatione Spiritus S. ad fidem  
 & salutem illuminari. Quod verò Paulus  
 adijcit: per Dominum nostrum Iesum Chri-  
 stum, qui mortuus est pro nobis; Et quidam  
 subsumunt: Mortuus est autem pro cunctis  
 hominibus: Ergò cuncti homines (atque sic et-  
 iam impij, impænitentes, hostes Dei & Chri-  
 sti) sub complexu prædestinatorum ad salutem  
 continentur: Respondetur; si sic arguere liceat,  
 futurum, ut omnes etiam homines iustificati  
 sint, quandoquidem & in articulo iustificatio-  
 nis explicando Paulus frequenter meminisset  
 mortis Christi, quam pro omnibus aliàs ho-  
 minibus susceptam esse constat, Rom. 3. Gal. 3.  
 Phil. 3. Sicut verò tale quid de iustificatione  
 inferre fas non est: ita nec electionem confu-  
 sam & promiscuam illam hominum impio-  
 rum aequè ac fidelium ac piorum ex præsentem  
 textu Paulino licet astruere.

XI. Docemur, extra Christum non esse  
 quarendam salutem. Hanc enim per Christum  
 Iesum Dominum nostrum nobis acquisitam

K 3 & par-

Et partam Apostolus verbis omni luce clario-  
ribus ostendit. Rectè igitur Saluator Ioh. 14.  
inquit: Nemo venit ad patrem, nisi per me.  
Et D. Petrus Act. 4. Hic est, inquit, lapis ille,  
qui reiectus est à vobis edificantibus, qui fa-  
ctus est caput anguli, nec est in alio quoquam  
salus: neq; aliud est nomen sub cælo datum ho-  
minibus, in quo saluari oporteat.

XII. Ex verbis: Adhortemini vos mu-  
tuò, doctrina petitur: officium Christiano-  
rum flagitare admonitionem & edificatio-  
nem sui mutuam. Quanquam enim penes or-  
dinarios Ecclesie ministros est, ut ipsi in cætu  
publico doceant, erudiant in iustitia, arguant,  
increpent & exhortentur, 2. Tim. 4. tamen  
extra hoc publicum docendi munus incumbit  
hæc cura omnibus atq; singulis pijs, ut se mu-  
tuò commonefaciant, ut errantes reducere  
conentur, Iacob. 5. ut se inuicem consolentur,  
1. Thessal. 4. ut moneant inordinatos, pusilla-  
nimes consolentur, subleuent infirmos, 1.  
Thessal. 5. ut peccantes admoneant tanquam  
fratres, 2. Thess. 3. ut lapsos & delinquen-  
tes erigant Spiritu mansuetudi-  
nis, Gal. 6.



PARS



PARS SECVNDA  
CAPITIS V.

**S**VBIUNGIT *Apostolus necessariam commonefactionem de diuini verbi ministris reuerenter habendis & colendis. Et quāquam potestatem habebat Paulus id ipsum Apostolica auctoritate præcipiendi: rogare tamen manuit, quā cum imperio mandare. Rogamus, inquit, scilicet ego Paulus & vnā mecum Syluanus & Timotheus; rogamus, inquit, vt agnoscatis eos, qui laborant inter vos. Periphrastica notatio est doctorum seu pastorum Ecclesie, quorū munus est laborare in verbo, admonere populum sibi commissum de colenda pietate erga Deum & dilectione erga proximum, & admonere de officijs simul omnibus ad professionem Christianismi pertinentibus. Atq; hoc est in ordinario ministerio præesse gregi, idq; in Domino, tanquā sacri ministerij supremo auctore atq; preside. Hos vult agnosci, id est, habere p ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum Dei. Vult illos in summo haberi precio, id est, in eo honore: quē doctoribus & pastoribus Ecclesiarum deferre iubet sacra litera. Neq; enim infinitus eis honos tribuendus est, vt Papista sua*

K 4 Pon.

*Pontifici adscribunt, sed suis limitibus circumscriptus, ut habeantur pro seruis DEI, ut obedientia illis præstetur ministerio debita & cum animorum reuerentia coniuncta, ut gratos sese illis declarent auditores pro summis beneficijs, quæ per ministrorum salutarem operam Dominus in auditores confert, ut officia & opera charitatis eis exhibeant. Ideò enim adiicit: per charitatem. Addit autem grauissimam rationem, petitam à præstantia, dignitate & utilitate operis siue muneris diuinitus eis concrediti, propter quod isto honore digni sunt, non habita ratione sortis & conditionis externa, quæ ob ingratitude mundi plerunque solet esse misera & ærumnosa. Ceterùm non semerè subiungit: Pacem habete cum illis: Etenim multa Satanas obijcit, quibus animos auditorum à suis pastoribus quoquo modo nititur abalienare. Monet ergò auditores, ne vel ob calumnias, ab hostibus excogitatas, vel ob seueritatem pastorum suorum in taxandis vitijs, peccatis aut erroribus illos odio aliquo prosequantur, sed potius concordiam atque pacem cum  
 eis colant.*



LOCI

## LOCI COMMVNES.

I. De officio ministrorum verbi. Hi vocantur ad munus ecclesiasticum, non ut ferias agant, aut suaue sectentur ocium, sed ut laborent: laborent, inquam, in sermone & doctrina, 1. Tim. 5. ut attendant lectioni, exhortationi & doctrinae, 1. Timoth. 4. ut bene ministrent, 1. Tim. 3. ut exuscitent, quod in se est donum, 2. Tim. 1. ut pascant gregem Domini & curam illius agant, 1. Pet. 5. ut pascant illum in scientia & doctrina, Ierem. 3. ut praedicent sermonem, insistent tempestiue & intempestiue, arguant, increpent, exhortentur cum omni lenitate & doctrina, 2. Tim. 4. ut ad iustitiam multos erudiant, Dan. 12. ut certent bonum certamen fidei, profiteantur bonam professionem, custodiant praeceptum immaculati & irreprehensibiles, 1. Tim. 6. ut egregium depositum seruent per Spiritum S. 2. Tim. 1. ut vigilent in omnibus, ut obdurent in afflictionibus, 2. Tim. 4. ut ferant afflictiones tanquam boni milites Iesu Christi, 2. Tim. 2. ut opus peragant Euangelistarum, & ministerium suum ad plenum probatum reddant, 2. Tim. 4. ut fideles sint usque ad mortem, Apocal. 2. accepturi quandoq; coronam vitae & gloriae immarcescibilis à principe pastorum

K S IESV

IESU CHRISTO in apparitione & regno  
ipsius, 2. Tim. 4. & 1. Petr. 5.

II. De dignitate ministrorum Euangelij,  
quos Paulus vult in summo haberi precio. Sunt  
enim salutare nuncij, predicantes pacem, an-  
nunciantes bona, Esa. 52. Rom. 10. sunt legati  
DEI ad genus humanum, nomine CHRISTI  
legatione fungentes, tanquam DEO nos ob-  
secrante per illos, 2. Corinth. 5. Sunt serui  
DEI iuxta delegationem ipsius, sunt mini-  
stri CHRISTI, sunt dispensatores & econo-  
mi mysteriorum DEI, 1. Cor. 4. sunt serui Dei  
altissimi, qui annunciant hominibus salu-  
tem. Ergo tanquam legati DEI omnipotentis  
excipiantur & habeantur. Qui regis alicuius  
legatum offendit, in regem ipsum iniurius &  
contumeliosus est, 2. Sam. 10. quanto magis  
qui ministros Euangelij offendit, iniurius est  
in regem illum Regum & Dominum domi-  
nantium; secundum illud CHRISTI: Qui  
vos spernit, me spernit, qui autem spernit me,  
spernit illum qui misit me, Lucae 10. Proin-  
de Paulus Apostolus edicit 1. Timoth. 5. ut  
qui bene praesunt presbyteri, duplici honore  
digni habeantur. Et grauisima est admoni-  
tio Hebrae. 13. descripta: Parete his, qui  
praesunt vobis, & concedite, siquidem illi  
vigilant

Vigilant pro animabus vestris, tanquam ra-  
 tionem reddituri, ut cum gaudio hoc faciant,  
 & non gementes: id enim est inutile vobis.  
 Sic Galatis suis testimonium perhibet Apo-  
 stolus, quod ab eis susceptus sit ut Angelus  
 DEI, veluti IESVS CHRISTVS, quodq; si  
 fieri potuisset, oculos suos effossos dedissent ei,  
 Gal. 4. De stipendijs laborum exstat sententia  
 Pauli Galat. 6. Communice, qui catechiza-  
 tur, ei, qui se catechizat de omnibus bonis: Et  
 I. Corint. 9. Si nos vobis spiritualia seminau-  
 imus, num magnum est, si carnalia vestra  
 messuerimus? Sic enim ordinavit Dominus,  
 ut, qui Euangelium annunciant, ex Euan-  
 gelio viuunt, quemadmodum hi, qui in sa-  
 ceris operantur, ex sacrificio viuunt, & qui  
 sacrario assistunt, una cum sacrario partem  
 accipiunt. Hinc e conuerso liquet, quanto pe-  
 re in DEVM ipsum peccent hi, qui ministe-  
 rium verbi & ministros contemnunt, qui  
 affligunt & persequuntur eos, qui Spiritum  
 Sanctum in illorum cordibus contristant, qui  
 se opponunt eis, haud aliter atque olim conse-  
 lerata factio Chore, Dathan & Abiram se  
 Mosi & Aaroni, seruis DEI, opposuerunt;  
 qui affligunt animas illorum, ut Sodomi-  
 ta animam iusti Loth indies excruciabant. 2.

Peti. 2.

*Petri 2. qui debita illis stipendia vel non solvunt, vel solvunt fraudulenter: qui denique Evangelio per ipsos prædicato non obsecundant. Tales pœnam luent, Apostolo teste, æternum interitum à facie Domini & à gloria fortitudinis illius, 2. Thess. 1.*

### TERTIA PARS CAPITIS V.

**T**ERTIA pars congeries est salutarium præceptionum, partim ad privatam informationem singulorum, partim ad communem usum ecclesiæ pertinens. Præmittit autem Apostolus suo more dulce elogium fratrum, ut intelligant, hanc totam commonefactionem natam ex eo amore, quo ipse Thessalonicenses, ut eiusdem fidei & confessionis socios, in Domino complectitur.

Obsecramus, inquit. Solenne enim est Paulo, quæ mandare poterat auctoritate apostolatus, ea rogare precibus. Nunc sequuntur præcepta ipsa, inter quæ primum est hoc: Mone te inordinatos, ἀτάκτους, hoc est, qui non vivunt secundum τάξις, ordinem, normam ac formam disciplinæ Evangelicæ, sed vivunt dissolutè, veletiam flagitiosè. Hos vult mone-  
ri, ut

ri, ut omiffa illa inordinata ratione viuendi se ad præfcriptam vitæ Christianæ regulam componant.

Confolamini pusillamines, ὀλιγοψύχους, id est, conscientias anxias sensu peccatorum & iræ DEI per terrefactas, aut alijs tentationibus vel calamitatibus deiectas. Has iubet erigi consolatione Euangelij.

Subleuate infirmos) Qui in fide circa aliquam doctrinæ partem, aut rerum indifferentium vsum infirmi sunt, hos præcipit subleuari & stabiliri necessaria ac mansuetâ institutione, & illorum infirmitates tolerari.

Patientes estote) Cùm nemo in hac vita sit undiquaq; perfectus, quin aliqua semper ei infirmitates adhæreant, monet æquanimiter tolerari omnes, & hominum impiorum quoq; resipiscentiam patienter expectari.

Videte ne quis malum) Nunc ostendit Paulus, quales sese Thessalonicenses exhibere debeant in eos, à quibus leduntur, scilicet, ne malum pro malo reddant. Quid ergò? quod bonum est, sectentur & vincant malum sua æquanimitate ac beneficentia, adeoq; bonitatem exerceant erga se inuicem, imò verò erga omnes, siue sint domestici fidei, siue à fide alieni & extranei.

Semper

Semper gaudete) Gaudium requirit non mundanum illud, DEO exosum & inuisum, sed gaudium in Domino, quo sine intermissione latentur de gratia DEI per CHRISTVM parta, verbo Euangelij oblata & vera fide apprehensa.

Indefinenter orate) Preces quoque non vult intermitteri, sed iubet indefinenter orare. Nō quidem, quod praesidiuitate precum continuata, non liceat vacare alijs quoque diuini cultus partibus, veletiam laboribus ordinariae vocationis, vel gaudijs insuper honestis atque licitis: Sed indefinenter orare dicuntur, qui diem nullum intermittunt, quin statis horis precentur, & qui, dum alijs laboribus etiam ac nonnunquam externis, sed verbo DEI concessis, gaudijs fruuntur, nihilominus animum retinent ad precandum semper paratum, & suis etiam gaudijs, laboribus & operibus vocationis preces subinde admiscunt, si nō semper ore, attamen spiritu atque mente. Hanc precandi rationem vult perpetuo quodam tenore continuari, ne vel rebus secundis & ex animi voto fluentibus existiment Christiani preces sibi non necessarias, vel tempore tribulationis sese magnitudine aduersitatum à precando deterreant.



In omnibus gratias agite) *Precazioni adiungit gratiarum actionem pro impetratis à DEO bonis; nec verò bonis duntaxat, sed ut Apostolus ait: In omnibus, siue bona obtin-gant, siue aduersa, ex DEI voluntate, ad casti-gationem nostri accidant. Adijcit rationem ab honesto: Hæc enim est voluntas DEI, quam vobis vice regulæ esse conuenit, idq; per Iesum Christum, in quo DEVS et preces no-stras ratas habet, & sacrificium gratiarum a-ctionis paterno fauore acceptat.*

Spiritum ne extinguatis) *Date operam, ut illam facem atque lucem gratiæ Spiritus S. accensam in cordibus vestris non extingua-tis, vel per peccata contra conscientiam, vel neglectu verbi & Sacramentorum, veletiam omissione precum, sed ut auditu verbi & usu Sacramentorum hæc flamma diuini spiritus alatur ac foueatur, & pijs insuper precibus confirmari vos in gratia Spiritus S. semel ac-cepta petatis.*

Prophetias ne) *Prophetia hîc interpre-tationem scripturæ significat. Hanc non vult contemni, vel ex præiudicio statim reijci in-terpretationem ab alio prolatam, sed expendi monet, ut si analogia fidei consona sit, admit-tatur. Proinde subiicit: Omnia probate, sci-licet*

licet dogmata, quæ proponuntur à docentibus, ea exigite ad scripturæ canonem, & quod bonum est, tenete, id est, quod quadrat ad a-  
missim scripturæ diuinitus patefactæ, id tene-  
te fideli mente, reiectis & improbatis ijs, quæ  
ad normam illam, sacrarum literarum non  
congruunt.

Ab omni spccie) Vult deniq; Paulus non  
tantum abstinere ab eo, quod malum est, sed  
etiam ab omni specie mali, ne mali quid de se  
susplicandi ansam præbeant alijs, cum illorum  
offendiculo.

### LOCI COMMUNES.

I. Quia Paulus iubet moneri inordinatos,  
ostendit, nunquam non in ecclesia fore aliquos,  
qui minus ordinatè viuunt. Quod & parabo-  
la Christi de Zizanijs, de quadruplici semine  
testantur, Matth. 13. Frustra igitur Anaba-  
ptistæ somniant ecclesiam in hoc seculo à cun-  
ctis offendiculis immunem. Si Thessalonicen-  
sium ecclesia tantopere collaudata ab Apostolo  
& Symmystis, nõ libera fuit à scandalis, adeò,  
ut 2. Thess. 3. scribat Paulus: Audimus quos-  
dam versantes inter vos inordinatè: Profe-  
rò in hac fece mundi melior ecclesiæ sors sine  
conditio speranda minimè est.

II. Pie;

II. Pietatis & dilectionis Christiana est monere tales inordinatos. Ideo & hic & 2. Thess. 3. inordinatè ambulantes moneri precipit, quemadmodum & supra præceperat, ut adhortentur se mutuò & ædificent singuli singulos. Idem requirit Moses Leuit. 19. Syrac. 19. Prouerb. 9. Neque indignè ferant, qui corripiuntur huiuscemodi commonefactionibus, quin potius gratias agant monitoribus suis, ijsq; piè obsequantur; quandoquidem à sapiente corripì melius est, quàm decipi adulatione stultorum, Eccl. 7. Idem asserit Syrac. c. 20. & David Psal. 141. beneficij loco reputat, si à sapiente corripatur.

III. Discimus, verè etiam Christianos in fide non esse pares. Quidam enim robusti sunt, qui cibum solidum ferre possunt: quidam infirmi, qui lactis Euangelicæ consolationis potu reficiendi & erigendi sunt. Imò unus idemq; Christianus modò in fide validus est, modò languidus & infirmus, quod & David ingenuè de se profitetur Psal. 130.

IV. De hominibus anxijis & tentatis conscientijs necessaria consolatione stabilendis. Præcipit hoc Spiritus Sanctus Esa. 35. & 40. & Hebr. 12. Id sedulo factitatum esse à Iobo, ne quidem hi, qui disputando sese illi op-

pone

ponebant, inficiari poterant, Iob. 4. Tu alios consolatus es, &c. Quemadmodum CHRISTVS inter opera misericordiae in nouissimo die referet & celebrabit, si qui aegrotos aut captiuos uisitarunt & consolati sunt, quod sibi praestitum reputabit, inquiens: Quod fecistis uni ex minimis fratribus meis, mihi fecistis, Matthaei 25.

V. De infirmis suscipiendis & subleuandis. Repetit hoc praecipuum Paulus multis in locis, maxime uero Rom. 14. & 15. 1. Corinth. 8. 9. & 10. & proponit huiusce rei exemplum CHRISTVM ipsum, Roman. 15. Paulus quoque scribit, se infirmis factum esse tanquam infirmum, ut infirmos lucrifaceret. Quapropter & nos etiam atque etiam caueamus, ne intempestiuo usu libertatis nostrae uel in rebus adiaphoris, uel quacunque alia ratione offendamus et perdamus eos, pro quibus Christus mortuus est, Rom. 14. & 1. Corinth. 8. Sed omnia dirigamus ad aedificationem, 1. Corinth. 10. memores eius, quod Apostolus scribit, si esca offendit fratrem meum, non uescar carnibus in aeternum.

VI. De cupiditate uindictae, quam alienissimam esse conuenit ab his, qui nomen suum Christo dederunt. Huc referenda sunt sententia

rentia & parabole Saluatoris Matthæi 5.  
 & 18. nec non Pauli conciones, Rom. 12. & ad  
 Coloss. 3. Huc exempla pertinent Scripturæ,  
 vt patris cœlestis, qui Solem suum exoriri si-  
 nit super malos & bonos, & pluuiam suam  
 mittit super iustos & iniustos, Matthæi 5. Si-  
 militer CHRISTI, qui cum maledictis in-  
 cesseretur, non regeffit maledicta, 1. Petri 2.  
 Quin orauit potius pro inimicis et crucifixori-  
 bus suis, Luca 23. Exemplum quoque Iosephi  
 erga fratres, Dauidis erga Saulem, 1. Sam.  
 24. & 26. Stephani erga eos, à quibus lapidatus  
 est, Actor. 7.

VII. Paulus moneus, vt bonum sectemur  
 erga omnes, haud obscure docet, non solum  
 domesticis fidei, sed extraneis quoque bene-  
 faciendum esse, & cum ijs non modo pacem co-  
 lendam, quoad fieri potest, Rom. 12. Sed etiam  
 humanitatis officia, cum usus postulauerit,  
 eis præstanda. Etenim charitas exercenda  
 est erga proximum. Proximus autem est,  
 quicumque nostra ope indiget, si maxi-  
 me in causa religionis nobiscum non faciat aut  
 consentiat. Quod CHRISTVS parabola  
 Samaritani, & eius, qui à latronibus vulne-  
 ratus ac semimortuus relictus fuerat, palam  
 edocet, Luc. 10.

VIII. De gaudio Christianorum, quod Apostolus perpetuum esse iubet. Id verò non oritur ex rebus terrenis, sed ex benefica fruitione ac sensu gratiæ cælestis. Atque hoc est gaudere in DEO viuente, Psalm. 84. gaudere in CHRISTO, Iohan. 16. gaudere in Spiritu Sancto, Roman. 14. Quod gaudium eiusmodi est, ut omnem intellectum superet, Philip. 4. & ne quidem in aduersitatibus planè labefactetur. Gloriantur enim pijs sub spe gloria DEI, etiam in afflictionibus, Roma. 5. Hinc illa voces CHRISTI: Matthæi 5. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Luca 10. Gaudete, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis: Similiter illud Apostoli Philip. 4. Gaudete in Domino semper, & iterum dico, gaudete: Cuiusmodi voces & sententiæ passim in Psalmis occurrunt, Psalmo 32. 64. 84. & 97.

IX. De precatone non intermittenda; quod & CHRISTVS monet Luca 18. in parabola de vidua & iniquo iudice. Nunquam non egemus ope DEI, in stemus ergò precando, petamus, quæramus, pulsemus, sub indubia spe, quòd accepturi & inuenturi simus, & quòd cæli fores ad opportunum auxilium nobis aperientur, Matth. 7. Plura quære Iohan. 16. de hoc loco.

X. De

X. De gratiarum actione, quæ est cultus DEI, cunctis sacrificijs acceptior, Psalm. 50. & 69. Hi namque sunt vituli labiorum confitentium Domino, Osee 14. & Hebr. 13. Hunc cultum requirit DEVS, Psalm. 50. Inuocame in die tribulationis, exaudiam te, & glorificabis me. Requirit & Paulus Ephes. 5. ut de omnibus gratiæ agantur DEO, planè ut hoc loco; In omnibus gratias agite. Nam etiam in aduersis DEO sunt agenda gratiæ, quòd tam paternè nos visitat & castigat, corripiens nos, ne cum mundo damnemur, 1. Corinth. 11. Fecit hoc Iob cap. 1. exclamans: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Similiter David Psalm. 119. Bonum est mihi Domine, quòd humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas.

XI. Docemur, voluntatem DEI nobis omnium actionum regulam et amussim esse debere. Hanc subinde inculcat Paulus Christianis, ut nimirum probent, quæ sit voluntas DEI, Rom. 12. ut probent, quid sit acceptum coram Domino, Ephes. 5. Item, Hæc est voluntas DEI sanctificatio vestra, 1. Thessal. 4. Et Petrus, Hæc est voluntas DEI, ut benefaciendo obturetis os hominibus stultis & ignorantibus.

tibus. Proinde, qui cupit ver<sup>o</sup> esse Christianus, is ad canonem voluntatis diuinæ verbo expressum componat suam omnem vitam & conuersationem, memor sententiæ Saluatoris Matth. 7. Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est. Quicumq; igitur iuxta regulam hanc incedunt, pax super eos, Gal. 6.

XII. Admonemur: ne ullo pacto extingamus spiritum, accensum in cordibus nostris, neue conturbemus et excutiamus Spiritum S. DEI, quo obsignati sumus in diem redemptionis, Eph. 4. Neq; enim dulcis & salutaris hic hospes animæ ad semel renatos homines sic alligatus et affixus est, ut nullis quantumvis atrocibus peccatis & sceleribus eijci possit, quemadmodum flagitiosè docet Calvinus, et qui dogmata eius sequuntur. Etenim verbum DEI non ambigè testatur, eos, qui ex DEO renati sunt filij DEI, acti etiam spiritu DEI, morituros, si secundū carnem viuere incipiant, Rom. 8. Testatur, donū regenerationis amitti posse, unā cum fide et bona conscientia. Posse iustum à sua iustitia ita se auertere, ut omnis prioris iustitiæ ratio apud DEVM nulla amplius habeatur, Ezech. 18. Posse etiam renatū Paulum, nisi



nisi carnem suam subigat, fieri reprobum, 1. Cor. 9. posse, qui implantati sunt in veram oleam, excindi rursus ac perire, Rom 11. posse Spiritum Sanctum auferri. Quod ne sibi eveniat amplius, ut prius acciderat commissio adulterio & homicidio, David tam anxie & sollicitè orat, Psalm. 51. Ne projicias me à facie tua, et Spiritum S. tuum ne auferas à me. Certum enim est, quòd Spiritus S. non habitet in corpore peccatis subiecto, vel in anima polluta, Sap. 1. et 7. Et manet fixa sententia Pauli, quòd omnis scortator, omnis immundus aut avarus non habeat hereditatem in regno Christi & Dei, Ephes. 5.

XIII. De Prophetia seu explicatione scripturarum dextra & vernacula minimè spernenda, à quocumq; tandem ea profecta sit. Absit à Christianis, ut, quæ verbo DEI consona proferuntur, ex solo invidentiæ affectu improbent aut reyciant: quin potius cum Mose dicant: Utinam omnis populus prophetet, Num. 11. Idcirco Paulus ordinavit in ecclesia Corinthiorum, ut, si prophetante vno aliquo ecclesie ministro, & erior sententiæ reveletur alteri assidenti, pro ille taceat, et collegam suum audiat. Spiritus enim Prophetarum, ut ibidem ait, Prophetis debet esse subiectus, 1. Cor. 14.

L 4 XIV. Quo

XIV. Quoniam Paulus hanc quoque regulam Christianis commendat, ut omnia probent, et, quod bonum est, retineant, meminimus, non confestim cuiusque spiritui credere vel assentiri, sed probemus spiritus, num ex DEO sint, 1. Thess. 4. et ex fructibus dignoscamus illos, Matth. 7. ne falsitatem pro veritate arripientes in erroribus intereamus. Itaque profana Pontificiorum opinio est, qui sine ulla dogmatum probatione vel examine iubent laicos in sententia Rom. Pontificum simpliciter acquiescere, et pro fidei articulis agnoscere uniuersa, quae à Rom. ecclesia traduntur, siue ea in Biblijs scripta sint siue non, ut impia catechesis Iesuitica habet. At Paulus laicis scribens monet, ut omnia probent, quemadmodum & Iohannes citato loco, & Christus Matthaei 7. non solos doctores, sed & laicos alloquuntur, eisque precipiunt, ut Pseudoprophetas è fructibus dignoscant, & Spiritus, num ex DEO sint, probent.

XV. Monet eadem sententia, falsum esse & Epicureum, quod quidam opinantur, quemque in sua religione saluari posse. Hoc enim si verum esset, nihil opus fuisset monere Thessalonicenses, ut probarent omnia, & quod bonum, verboque DEI consentaneum est, solum-

lummodo retinerent. De nihilo quoque forent omnes illae gravissimae commonesactiones, de cauendis falsis doctoribus, quae Matth. 7. Act. 20. Rom. 16. 2. Cor. 11. Phil. 3. 2. Tim. 2. & 4. & 1. Ioh. 2. & 4. descriptae extant.

XVI. Tandem infixae habeat animis nostris aurea γρόμη Paulina, quae non tantum à malo, sed ab omni quoque specie mali vult abstineri. Qui ergo non vult haberi Pontificius, Calvinista, Anabaptista, &c. det operam, ne collusionibus vel quacunque alia ratione aliquam de se suspicionem istarum sectarum & opinionum concitet. Qui non vult accenseri flagitiosis hominibus, fugiat etiam suspensiones, nec commercium habeat cum impijs, Psal. 1. Eccl. 13. Insigne huius regulae exemplum legitur 2. Macchab. 6. de Eleasaro, qui adduci non poterat, ut simularet saltem coram regijs Satellitibus esum carniuum lege DEI vetitarum.

## QVARTA ET VLTIMA PARS.

IPSE autem DEVS pacis.) Voto & salutatione consueta & paucis interspersis sententijs monitorijs claudit Epistolam suam.

L S Precatur

*Precatur autem Thessalonicensibus, ut Deus, qui est pacis DEVS & non contentionum, sanctificet ipsos Spiritu sancto, & quidem totos, ne vlla ipsorum pars huius sanctificationis expers maneat, & ut opus hoc sanctificationis in hac vita inchoatum, perficiatur & absoluat in seculo altero. Partium autem, quae sub vocabulo totius comprehenduntur, expresse meminit Apostolus, cum attexit: Et integer vester Spiritus, & anima & corpus, &c. Per spiritum intelligit nobilissimam animae humanae potentiam, quae homines à brutis determinat, nimirum mentem & voluntatem. Per animam reliquas animae facultates intelligit, quae ipsa quoque sanctificari & Spiritui sancto subiugari indigent. Proinde totum hominem mente, anima & corpore sanctificatum & inculpatum, seu ab externis sceleribus immunem seruari optat in diem aduentus Domini IESU. Cumq; hoc non sit virium humanarum, idcirco ne de impletione voti dubitent, attollit mentes eorum ad considerationem bonitatis DEI, qui & possit, & fidelis cum sit, velit etiam hoc in illis efficere: fidelis est, qui vocavit vos, qui idem efficiet, quasi dicat, fidelitatem quidem DEI experti estis in vocatione*

tionem vestri ad communionem Euangelij. Quia ergo a deo clementer vocavit vos, is gratiam efficaci vocatione collatam semel, non sine vobis excuti aut irritam reddi, sed opus illud suum ad optatum usque finem perducet, dummodo ipsi vos non sponte gratiam DEI proijciatis.

Fratres, orate pro nobis.) Paulus, Sylvanus & Timotheus expetunt Thessalonicensium preces & ad DEUM pia vota pro secundo Euangelij cursu, & clementi protectione Dei in obeundis delegati ministerij partibus.

Salutate fratres.) Quoniam apud Thessalonicenses vsitatum erat familiari salutatio- ni mutua osculum adiungere: Vult Paulus illud esse sanctum, ab hypocrisi, alijsque pravis affectibus alienum & undiquaque sincerum.

Adiuuro vos.) Graui & religiosa adiuratione obtestatur illos, ut hanc epistolam non pauci aliqui inter se priuatim legant: coram alijs vero supprimant, sed ut eam omnibus sanctis fratribus ac vere Christianis publice promulgandam & recitandam curent.

Gratia Domini.) vsitatum votum est, quo finire solet Epistolas suas Paulus. Preca-

zur autem illis gratiam Domini nostri IESU Christi, id est, salutiferum & paternum amorem Dei, quem Christus suo merito nobis hominibus conciliauit.

Et additur clausula, Amen, qua ratum apud Deum haberi petit, ac certò statuit, quod ipse ex sincero charitatis affectu illis precetur.

### LOCI COMMUNES.

I. Monemur, beneficium sanctificationis à Deo petendum esse. Cum enim naturâ sancti non simus, & verò Deus requirat, ut simus sancti, sicut & ipse sanctus est, Leu. 19. necesse est, ut Deum precemur, qui Spiritu sancto suo nos regat & ad obsequia sua fleat, ne posthac ambulemus secundum carnem, sed secundum Spiritum, Roman. 8. mundatique ab omni iniquitamento carnis & Spiritus perficiamus sanctimoniam in timore Dei, 2. Cor. 7.

II. Docemur, non solam animam hominis Christiani, sed eiusdem etiam corpus verè sanctificari & à peccatis mundari. Ideò namque Paulus optat, Thessalonicenses sanctificari totos, ita ut spiritu & anima & corpore inculpati seruentur in diem Domini. Ideò

Ideo quoque corpora fidelium dicuntur tem-  
 pla Spiritus sancti; dicuntur membra corporis  
 Christi, 1. Cor. 6. arma iustitiæ & serua iusti-  
 tiæ ad sanctificationem, Rom. 6. Qua de causa  
 præcipit Paulus, ut quisq; vas corporis sui pos-  
 sideat cum sanctificatione & honore: qua et-  
 iam est causa, quòd & corpus nostrum fruatur  
 beatitudine cælesti, quod aliàs, si in hac vita  
 Spiritus Sancti, eiusq; gratia, regenerationis  
 & sanctificationis particeps redditum non  
 fuisset, nec in altero seculo spem ullam habere  
 posset resurrectionis ad vitam beatam. Pro-  
 inde vitiosa planè est distinctio, qua nonnulli  
 ex grege Calvinistico scripturæ loca, quæ de in-  
 terno & externo homine loquuntur, Anaba-  
 ptistarum in modum sic interpretantur, ut  
 hominem internum de anima solum, exter-  
 num de corpore intelligendum esse autumant,  
 & ex putido hoc præsupposito argumentum  
 extruant ad derogandam ori corporis nostri  
 sumptionem illam corporis & sanguinis Chri-  
 sti in cæna mysticam, sub elementis visibili-  
 bus pane & vino, quia scilicet externorum  
 Symbolorum esus ad externum hominem, id  
 est, (ut ipsi interpretantur) ad corpus perti-  
 neat: at corporis & sanguinis Christi sumptio  
 ad internum, id est, (iuxta ipsorum peruer-  
 sissimam

sissimam interpretationem) ad solam ani-  
 mam. Hoc argumentum illorum euertitur,  
 quando fundamentum, cui superstructum  
 est, vitiosum esse ostenditur. Internus enim  
 homo significat hominem renatum & sancti-  
 ficatum, qui interno dictamini & imperio in-  
 habitatis Spiritus sancti obsequitur. Externus  
 homo dicitur, qui repugnat spiritui & carnis  
 cupiditatibus obsecundat. Iam quia Paulus ho-  
 minem regenerari & sanctificari docet, non  
 sola anima, sed etiam corpore, & quia corpus  
 quoque renati hominis obsequitur interno du-  
 ctui & regimini Spiritus sancti, idcirco ad  
 internum, renatum & sanctificatum homi-  
 nem refertur non sola anima, sed etiam cor-  
 pus. Rursum quia regeneratio in hoc seculo  
 perfecta nondum est, ideo quicquid in renatis  
 voluntati diuinae repugnat, id omne ad ex-  
 ternum hominem scriptura refert. Repugnat  
 autem legi Dei & voluntati ipsius non tan-  
 tum corpus, sed etiam anima cum uniuersis  
 potentijs, Rom. 7. Ergo & anima hominis, in  
 quantum adhuc reluctatur legi diuinae, est ex-  
 terior ille homo, quem in peccatis domandum &  
 crucifigendum cum desiderijs & concupiscen-  
 tijs eius monet Apostolus. Quae cum ita sint,  
 nihil erat cauae, sub huius fallacissimi argu-  
 menti



menti prætectu oppugnare sumptionem corporis & sanguinis Christi in cæna, ore Christianorum peragendam, præsertim cum verba cæna; edite, bibite ex hoc omnes: biberunt ex eo omnes: irrefragabiliter ostendant, sanciri & disponi in cæna manducationem & bibitionem, quæ ore fiat & quæ non ad externa duntaxat Symbola, sed ad ipsum corpus & sanguinem Dominicum manifestissime referatur, secundum indubitata verba CHRISTI: Edite, hoc est corpus meum, bibite, hic est sanguis meus.

III. Quoties angimur de perseverantia in bono usq; ad finem, semper ad fidelitatem DEI & promissionum ipsius veritatem immotam respicere meminerimus. Cernimus Apostolum ex hoc capite fidelitatis DEI & hic & alibi argumenta ducere consolationis, quod in diem usq; Domini IESV sit DEVS confirmaturus eos, qui fidunt illi. Velut hic: Fidelis est DEVS, qui vocavit vos, qui & efficiet: Et I. Corinth. I. DEVS confirmabit vos usque in finem inculpato in die Domini nostri IESV Christi. Fidelis est DEVS, per quem vocati estis in consortium filij ipsius Domini IESV CHRISTI DEI nostri.

Ac rursum I. Corinth. 10. Fidelis est Domi-

nus, qui non sinit nos tentari supra vires, sed dabit cum tentatione euentum, vt sufferre possitis. Sic 2. Thessal. 3. Non omnium est fides: Sed fidelis est DEVS, qui stabiliet & custodiet vos à malo. Cùm ergo fidelis sit is, qui promisit, Hebr. 10. & mentiri nesciat, Tit. 1. adeò vt si etiam nos negemus, ipse fidelis maneat & negare se non possit; 2. Tim. 2. certò statuamus, DEVM opus suum bonum, quod inchoauit in nobis, esse etiam perfecturum, Phil. 1. vt quisq; Christianorum cum Apostolo dicere queat: Non certusq; sum, quòd is, cui credidi, potens sit depositum meum custodire in diem illum, 2. Tim. 2.

IV. Discimus insuper, ex vocatione iudicari posse ac debere de nostra salute, & ad salutem electione, iuxta hoc Paulinum: Fidelis est, qui vocauit vos, qui idem efficiet. Quanquam enim hominum vitio, non DEI culpa, angustior est Electio, quàm vocatio (siquidem; cùm multi sint vocati, pauci tamen sunt electi, Matth. 20. 22.) eò quòd ad vindicandum Evangelicæ prædicationis contemptum DEVS non multos præclaro genere natos, non multos potentes aut sapientes secundum carnem, sed quæ stulta & ignobilia sunt, elegit, 1. Cor. 1. tamen ex vocatione potest hoc indubitato concludi,

concludi, quod eorum, quos per Euangelium  
 vocat (vocat autem omnes) salutem serio de-  
 sideret, simulq; eos omnes non cupiat vel à sa-  
 lute, vel prædestinatione salutis exclusos, sed o-  
 mnes pariter inclusos, dummodo pariter illam  
 æterna prædestinationis atq; electionis τὸ ξίϐ  
 sequantur, hoc est, si verbum DEI audiant, in  
 fide in filium & in bono usq; ad finem perse-  
 uerent. Etenim si non omnes cuperet salutife-  
 ra suæ prædestinationi inclusos, sed aliquos  
 simplici voluntate & odio absoluto sine respe-  
 ctu contemptus mediolorum salutis præteriret:  
 utiq; non vocaret eos ad participatum regni  
 sui cœlestis, ne vocando eos, quos per absolutum  
 & immutabile decretum à salute seclusisset,  
 ὡς οὐκ εἶσεν notam ipse sibi inureret.

V. Preces piorum mutuas sedulo ad Deum  
 esse fundendas. In primis autem orandum esse  
 pro his, quorum magnus est in Ecclesia filij  
 DEI usus, ut illorum salutari ministerio ser-  
 mo Domini currat & glorificetur, 2. Thessal.  
 3. ut ad salutem communem Ecclesiæ seruen-  
 tur incolumes. Quo pacto sibi in Asia pericli-  
 tanti plurimum profuisse & porro profuturū  
 indicat Paulus preces Corinthiorum, 2. Co-  
 rinth. 1.

VI. Adiurationes & iuramenta probari

M DEO,

DEO, si suscipiantur in rebus magnis, pertinentibus ad promouendam gloriam DEI, ad prouehendum cursum veritatis, ad conseruandam iustitiam forensem seu ciuilem.

VII. Monemur, Epistolas Paulinas in usum non paucorum duntaxat fidelium, sed totius catholice Ecclesie omnium etatum scriptas, & ad hac usq; tempora diuinitus custoditas esse. Ideo namq; adiurat Thessalonicenses, ut eam non supprimant, sed omnibus sanctis fratribus promulgent. Quare sui cordis impietatem produnt Pontificij Scriptores, qui Epistolas Paulinas, cum inscripte sint particularibus Ecclesiis, non magnoperè censent pertinere aut prodesse ad regendam catholicam Ecclesiam orbis. Verùm retunditur illorum perfidia & presente Apostoli loco, & eo, qui 1. Cor. 1. extat, ubi suam ad Corinthios datam priorem epistolam communem facit omnibus, qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in quouis loco vel suo vel nostro. Vna enim est manetq; veritas doctrinae celestis scriptis Apostolicis hisce patefacta, ad quam non minus nos, quam olim Corinthij aut Thessalonicenses obligati sumus.

Reliqui loci communes petantur ex declaratione epilogi ceterarum Epistolarum D. Pauli.

F I N I S.

FRANCOFVRTI  
AD MOENVM EXCV.

DEBAT IOHANNES  
SPIES.




---

M. D. XCVI.

ti-  
ad  
in-  
in  
Ced  
ri-  
to-  
n-  
n-  
dis  
mi  
ti-  
nt  
li-  
to-  
eo,  
ios  
o-  
ri  
o.  
e-  
m  
ut  
a-  
li.





AB: 155418


ULB Halle 3  
003 085 83X




80

8.









EPISTOLAE  
**DIVI APOSTO-**  
**LI PAVLI AD THESSA-**  
**LONICENSES PRIORIS EX-**  
POSITIO PLANA ET  
perspicua.  
AVCTORE  
**ÆGIDIO HVNNIO,**  
S. THEOLOGIAE DOCTORE  
*& Professore in Academia  
VWittebergensi.*



FRANCOFVRTI AD MOENVM  
M. D. XCVI.

